

[illegible] 38

[illegible] 34

[illegible]



Aloys. Manzieri del. Io. Eq. Lindemain Inc. 1746

OPERUM BARTHOLOMÆI RICCII LUGIENSIS

TOMUS PRIMUS,

CONTINENS

Orationes partim editas, partim ineditas.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXLVIII.

Apud Joannem Manfrè.

Superiorum Permissu, & Privilegio.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

FRANCISCO CARDINALI RICCIO

THOMAS EMALDI

FELICITATEM.

NOn dubito, quin plerique elegantiorum Literarum hoc ſæculo amatores Bartholomæi Riccii Opera, quæ hactenus inveniri potuerunt, nunc primum ſecundis curis in lucem edita lætanti animo ſint excepturi. Norunt enim & hominis in Latine ſcri-

bendo nitorem, & elegantiam, ejusdemque scriptorum infrequentiam, quæ eo devenerat, ut in Bibliothecis quantumvis maximis vix unum, aut pauca admodum exempla reperirentur. Cum autem hæc plurium annorum investigatione collecta prælo nunc committantur, si quærat aliquis, cur Riccius noster Te potius, PRINCEPS EMINENTISSIME, Patronum sibi, ac Mæcenatem, quam alium quemcumque, requirat, ac postulet, hunc, sciat velim, præter Gentilium nomen, quod Tibi, & ipsi commune est, a clarissimo Familiæ tuæ Cardinali Joanne Riccio Politiano maxi-

mo

mo semper in pretio habitum, summaque benevolentia affectum. Cum igitur, renovato per Te in eadem Politiana olim, nunc autem Romana Familia Purpuræ splendore, novum illi decus, atque ornamentum attuleris, quid mirum, si qui editionem hanc curandam susceperunt, illum Tibi literatum hominem nunc commendaverint, qui suis virtutibus, dum viveret, Majori tuo se commendaverat. Intercedit enim inter Te, ac Joannem illum eximia quædam tum Dignitatis, tum Munerum, quibus ante Cardinalatum perfunctus erat, similitudo. Siquidem ambo ex eodem, ut ita dicam, septo

dimissi, quamvis diverso tramite, stadio rite confecto, ad eamdem metam pervenistis. Etenim ambo primum Clerici, ut vocant, Apostolicæ Cameræ renunciati, ille Spoliorum primum in Lusitania Quæstor, Apostolicus subinde Nuncius in Hispaniis, Pontificio demum Ærario Præfectus a Julio III. Pont. Max. Purpureo Galero donatus fuit: Tu vero, Viarum, Aquarumque Ædilitate gesta, Pontificiis armis, & Urbi denique Præfectus a Sapientissimo Pontifice Benedicto XIV. in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus fuisti. Quamobrem cum ad eumdem Dignitatis gradum perveneris,

Ti-

Tibi maxime munus hoc convenire ſum arbitratus, ut parem quoque Te illi præberes in ea benevolentia, qua bonas artes, Ricciumque noſtrum proſequebatur. Quemadmodum enim in Te miramur, ac ſuſpicimus egregiam morum integritatem, atque innocentiam, ſingularem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ cultum, ſummam in dicenda ſententia juſtitiam, atque prudentiam, atque in iis omnibus, quæ tui muneris ſunt, ſedulitatem, ac diligentiam; ſic Te Literarum quoque eſſe fautorem, Auctore noſtro in Tui tutelam recepto, unuſquiſque gaudebit.

TY-

TYPOGRAPHUS
AD LECTOREM.

Opera Bartholomaei Riccii Lugiensis de Latina dictione optime meriti temporum injuria magna ex parte nobis intercepta, quasique ablata nunc primum in unum collecta nostris typis, quanta maxima potuimus diligentia, excusa exhibemus, ut majora in dies ad Latinam eloquentiam contendentibus subsidia, & adjumenta suppetant, quibus instructi eam penitus assequantur. Est profecto, cur Literaria Respublica sibi magnopere gaudeat, maximasque spectatissimis, omnique laude dignissimis Viris studiorum communione, & arctissimo necessitudinis, ac familiaritatis vinculo inter se conjunctissimis, Thomae Emaldo, & Herculi Dandino gratias agat, & habeat, (quorum alterum propter summam in scribendis Latinis Epistolis elegantiam Romana Curia apprime suspicit, & admiratur, alterum vero splendidissimum Academiae Patavinae lumen, & insigne antiquae probitatis, & virtutis exemplum paucis abhinc mensibus quasi ex improviso sibi ereptum tota Civitas graviter dolet, (quod eorum labore, cura, solicitudine factum sit, ut eadem Opera ad hanc diem variis,

iisdemque non omnibus laudandis typis consignata simul conjuncta haberet; quibus quodam quasi thesauro ditata opes suas politiorum Literarum amatoribus læta ostentaret, eosque facilius ad se alliceret. Et sane quantum ornamenti, & subsidii Latinæ eloquentiæ ex hac Bartholomæi Riccii Operum editione accessurum sit, quis non videt, cum plane constet, eum inter cæteros longe excelluisse, a quibus non solum barbaries, quæ jamdiu in Italiam irruperat, eamque totam misere occupaverat, excussa, & procul amandata est, sed germana etiam, & elegans Auctorum locutio, & dictio pœne deperdita pristinæ dignitati, atque splendori restituta? Quam autem diligens, atque rigidus germanæ Latinitatis custos extiterit; apertissimo illud argumento sit, quod, quoties in scribendo voce aliqua ab aurea Latinitate abhorrente uti coactus est, eamque vel ex media, vel ex infima ætate mutuari, id vel ægre admodum fecit, vel ubi verborum circuitu eamdem prorsus se explicare posse diffidit, parenthesi adhibita, verbisque ut ajunt, ut volunt, ut dicitur, *aliisque similibus candide significavit, se aliunde, quam ex veteri Latio, eam desumpsisse. Hinc nihil mirum, illum unanimi, & constanti doctorum Virorum sententia aureæ Latinæ eloquentiæ instauratorem habitum semper fuisse, eidemque tributam hanc laudem, ut non solum scribendi facilitate, cu-*

jus

jus passim exempla, sed præcipue in describendis intricatissimis ludis Calcis, & Palamaji *vulgo dictis, legentibus occurrunt, nemini cedat, sed etiam, quæ ætatis nostræ sunt Latine dicenda, quæ prope innumerabilia sunt, ita ipse ad veterum rationem dicat, ut ipsa eorum ætate vixisse videatur. Porro unde hanc facilitatem nactus fuerit, ipse in quadam Epistola palam facit, in qua gloriatur, se orationem suam cum in loquendo, tum in scribendo ad unius Ciceronis regulam, atque imitationem direxisse, cum optime sciret, in Cicerone uno omnia, quę eloquentiæ propria sunt, una omnium hominum, & sæculorum sententia cumulatissime esse absoluta. Ex hoc vero sibi idem prorsus evenisse narrat, atque illi, qui ad hominis effigiem exprimendam omnem artem, atque studium suum adhibuerit, qui, si id minus potuerit assequi, certe propius ad eam effingendam accesserit, quam qui aut in herbis, aut arboribus, aut pratis, aut ceteris animalibus pingendis penicillum suum varie exercuerit. Quod igitur tantopere desiderabatur, ut tam eximius Latinitatis restitutor, & vindex aliquando integer in lucem emergeret, id nobis præcipuo quodam Dei beneficio reservatum gaudemus, ut haberes per nos in uno Auctore omnium scribendi generum imagines, eaque omnia egregie pertractata, quæ Oratorem numeris omnibus absolutum constituunt. Sed ne pluribus*

te

te morer, & legendi Riccii cupiditate flagrantem diutius detineam, paucis habeto, quæ in hac editione præstita sint, ut omnibus grata, & accepta accidat. Cum igitur veteri Proverbio vetemur τὰ καλῶς τεθέντα κινεῖν, quæ pulchre posita sunt, loco movere, *& contra admoneamur incompositis, & extra ordinem suum collocatis sedem, & mansionem propriam tribuere, rectum censuimus Opera nobis confuse tradita tum manu scripta, tum diversis typis singula excusa in tres Tomos, variis erroribus, qui in aliis editionibus occurrerunt, prius emendatis, partiri, & in primum Orationes, in alterum Epistolas, in tertium Libros tres de Imitatione, aliosque ejusdem Auctoris Libellos conjicere. Porro ne incertum sit, cui ex additamentis ad ornandum, & illustrandum Auctorem nunc primum appositis singula debeantur; Epistola nuncupatoria ad Cardinalem Amplissimum Franciscum Riccium studio Thomæ Emaldi confecta est; Auctoris vita communi ejusdem, & Herculis Dandini diligentia, & cura concinnata; reliqua omnia ab Antonio Zanolini in Seminario Patavino Linguarum Orientalium Professore elaborata. Placuit enim ipsi ad majorem studiosorum fructum ad singula Opera animadversiones, eorumque synopsim addere, singularum Epistolarum nova argumenta, & cum earumdem, tum rerum omnium locupletissimos Indices non mediocri diligentia contextos*

sub-

subjicere, ut tibi tantummodo providendum sit, ne tu ipse tibi defuisse videaris. Itaque illud unum restat, ut hos labores nostros tui commodi, & emolumenti gratia susceptos pro tua benignitate aequi, bonique facias, & singula non sine aliqua grati animi significatione erga eos excipias, qui una bene merendi de Literaria Republica cogitatione ea publici juris fieri voluerunt, ut horum exemplo alii compulsi ad eamdem aliis subsidiis ditandam, & ornandam vehementioribus, acrioribusque gloriae stimulis incitentur.

VI-

V I T A
BARTHOLOMÆI RICCII.

EA Italiæ regio, quæ a celeberrimis veterum Romanorum viis, Flaminia, & Æmilia, quibus interſecabatur, utrumque nacta eſt horum nominum, partem habet, quæ poſtea *Romania* ob ſingularem fidem in Romanum Imperium juſſu Conſtantini Magni dicta eſt, unde, corrupto aliquantum nomine, *Romandiola* nunc appellatur. Hæc autem ad duas plagas, alteram editiorem, alteram humiliorem pertinet. In hac Lugum Oppidum inſtar Urbis floret frequentia, nobilitate, opibus, cultuque Familiarum. Inter cæteras honeſtiſſimum locum obtinuit Gens Riccia, quæ tamen & in plures ſtirpes diducta, & Civilibus diſſidiis dedita opes fregit, & imminuit ſuas. Camillo Patre Bartholomæus Riccius natus eſt anno Æræ Chriſtianæ MCCCCLXXXX. Hujus animus ad tranquilla ſtudia Literarum, non ad alenda Majorum ſuorum cum Civibus diſſidia ferebatur, & quamquam adoleſcens, tamen ſapientior natu grandioribus probe cognovit; ſibi hac via reparandas opes, quas Majores ſui miſerandum in modum diſſipaverant. Pater mature deceſſit: ipſe Ferrariam

ſe

se contulit. Erat enim ea in Urbe sedes Principum, quorum ditioni Lugum Oppidum parebat, & horum illecti munificentia doctissimi Viri disciplinas profitebantur. Ut plerique solebant, Riccius quoque excolendam sibi in primis constituit Jurisprudentiam, atque adeo naviter id egit, ut non amplius, quam octo supra decem natus annos, adipisci Doctoris nomen, non ad pompam, sed egregiæ navatæ operæ fructum, valuerit. Huic studio, unde fortunarum proventus aliquis esse posset, exemplo, ut tum erant tempora, & raro, & admiratione dignissimo, adjecit politiorum cultum Literarum, in primisque Latini sermonis. Etenim Juris disciplina, ut vulgo tractabatur, inconditum quiddam erat, & ab eruditione, & a peritia Latinæ linguæ prorsus alienum. Sed quod adolescens id ætatis Lauream in disciplina Juris adsecutus fuerit, minus fortasse mirum. Quod vero e politioribus Literis jam tum eximiam laudem tulisset, indicio est, eum divinæ Providentiæ concessu, & munere datum fuisse, qui inter cujusdam laudatissimi quasi belli Duces ad barbariem a Latina lingua strenue propulsandam excelleret. Non ita multo post Patavium venit, perpetuum Musarum domicilium, exceptusque statim fuit ab Andrea Navagerio Veneti Patritii Ordinis Viro, qui & ipse cum so-

solutam, tum obstrictam numeris Latinam orationem ad pristinum candorem, & nativas Veneres ita revocavit, ut, nisi ducas rationem temporum, Augusti Ævo floruisse hunc facile putes. Studiorum similitudo, & quasi quædam conspiratio erga Latinas Literas Navagerium Riccio conciliavit Patronum amantissimum, qui, quanti Riccius faciendus esset, omnium primus ostendit, eique docendi munus curavit, unde magna utilitas Literis, ipsi honestum lucrum accederet. Extat Epistola Venetiis a Riccio ad Navagerium scripta, qua narrat, quæ fecisset Marcus Mussurus, cui Navagerius Riccium commendaverat. *Postridie, inquit, Mussurum adeo, qui ut audivit, a te nuncium esse cum literis, scalas ut ascenderem jussit. Interea vero ille e cubiculo ad porticus januam mihi obviam venit. Qui (ut fit) antequam literas aperiret, ut valeres, ac quid rerum? amantissime quæsivit. Recte, inquam, omnia. Ut vero tuas literas legit, eo me vultu, iisque verbis, atque amplexibus accepit, quo ego facile cognoscerem, me a te illi ea de nota commendatum esse, qua commendari solent, qui vere amantur. Dicere non possum, quam Græcus homo, ac tantus Vir mecum humane se gesserit; ut vero de te & honorificentissime, & amantissime loqueretur, non puto te expectare, dum dicam. Sed omnia cumulavit, cum me* re-

recta ad eos misit, a quibus non discessi; ad quem heri fui, ac quid actum esset, narravi, gratiasque egi quas potui maximas. In extremo Epistolæ adscriptus annus MDXIII. præclare ostendit, Riccium dignissimum fuisse, cui Navagerius, & Mussurus adeo faverent, quando annum agens XXIII. hæc scripsit, e quibus elucet matura, ac plane singularis Latini sermonis elegantia. Latinam eloquentiam dum ipse Venetiis profitebatur, ac docebat rectam illius parandæ viam, optimorum Scriptorum imitatione, quos tantum Augusti, & paullo superior Ætas tulisset, Mussuri consuetudine, Græcæ quoque linguæ excolendæ operam navabat. Ad Latinam vero quod attinet, per hæc tempora inchoavit grande illud Opus, ac utilitate plenissimum, quod inscripsit APPARATUM LATINÆ LOCUTIONIS, quodque plurimi fecere Petrus Bembus, & M. Antonius Flaminius, qui, quantique Viri! in quod tamen annos bene multos insumpsisse ex eo licet conjicere, quia nondum in lucem editum misit ad Bembum anno MDXXXII. quum ipse annum XLII. ageret. Venetiis ad hæc usque tempora primum publice docuit, deinde privatim accersitus a Joanne Cornelio Senatore Amplissimo, ut elegantia Latinæ linguæ, & præstanti eloquentia Aloysium Filium impertiret. Qui tanto

usus

ufus præceptore ita profecit, ut cum inclytæ Patriæ Legationibus obeundis, tum Cardinalis creatus Religioni, & Ecclesiæ mirum in modum profuerit universæ. Sed atrox incendium in splendidas Corneliorum Ædes, cum eas incoleret Riccius, grassatum est, quo bene multa Riccii scripta perierunt. Mœrorem ille gravissimum, ac diuturnum contraxit, quem in caussa fuisse suspicor, quamobrem, non ut antea jocosus, & hilaris, sed severus, ac tristis haberetur, ac rarius alloqueretur doctos Viros, quorum amicitiam sibi conciliaverat. Quare Flaminius ad Riccium ita scripsit.

Ab! jam rumpe silentium, jocose
Olim, nunc nimium severe Ricci.
Num tu sic veterum flagras amore,
Ut Tulli, puta, Cæsarisque vivos
Ut jam pro nihilo putes amicos?

Et paullo post cum ignoraret, parasset ne ille adhuc quicquam edendum in lucem, subjecit.

. . . . *Sed heus, Amice,*
Quid rerum geritur? notare pergin'
Quidquid ad proprie, eleganter, apte
Loquendum valet, ac beare lingua
Nos prædivite, id est, Latinitati
Suos reddere pristinos honores?

Huic ego calamitati acceptam esse ferendam

puto eam quoque rusticitatem, qua Riccius Venetiis cum esset, & certe Petrum Bembum maximi faceret, officia in eum neglexit. Quid enim aliud fuerit in caussa? Bembus officiose ita conqueritur: *Epistola tua ita me delectavit, ut egre admodum tulerim, quamquam tu Venetiis complures annos proxime vixeris, ego frequens fuerim, tamen nullum mihi tecum usum adhuc quidem intercessisse, tuaque me interea consuetudine, tuis congressibus, atque sermonibus caruisse. Cave enim putes, mihi quicquam iis accidere potuisse jucundius. Quod quoniam tua culpa magis, quam mea, factum puto, qui ad me numquam accesseris, numquam te mihi dederis intuendum, feram æquiore animo, propterea quod uno, eodemque brevi tempore, totum te ut cognoscerem, effecisti, tuamque in studiis nostris mitioribus doctrinam, & diligentiam, ut perspicerem, voluisti, missis ad me scriptis tuis, quibus facile, quam sis ea in re mirificus, ac plane summus, cognovi.*

Aloysius Cornelius Riccii Discipulus, qui natus anno Æræ Christianæ MDVI. florente ætate pro Republica obire cœpit Legationes anno MDXXXIV. absentia sua in caussa fuit, ut Riccius quoque de profectione cogitaret. Eum Cives invitarunt sui, ut ad Oppidum Lugum remigraret, nimis diu a Patria abfuisse illum, ut arbitror, conquesti,

quo

quo doctrinæ, eruditionisque suæ opibus exteros augeret, Patriam vero, qua nihil carius debet esse, fraudaret. Igitur & Patriæ desiderio, & studio item cognoscendi quid fortunarum ex hæreditate in ea ad se pervenisset, oblatam publice in Patria docendi conditionem accepit, seque ad eam contulit anno MDXXXIV. cum ipse annum XLIV. attigisset. Consilium Uxoris ducendæ numquam ceperat, dum Ædes alienas habitaret, cepit Lugi, dum suas. Duxit autem Floriam Ravaniam, quæ ipsum non mediocri auxit dote, & etiam sobole; sed cum paullo post intestina dissidia Lugum rursus exagitarent, ipse Literariæ quietis percupidus Ravennam cum Uxore concessit, qua in Urbe amicissimum habebat Augustinum Abiosium, quocum & Patavii, & Venetiis familiarissime vixerat, tum etiam alios ejusdem Familiæ Viros. Ravennæ publice docuit honestissima conditione exceptus; sed anno MDXXXVIII. in id morbi incidit, unde mortis metus omnino fuit. Quare testamentum condidit; quo, Uxore hærede instituta, (neque enim adhuc prolem susceperat) Bibliothecam Augustino Abiosio legavit; scripta vero sua reliquit Paullo Manutio, cujus Viri doctissimi fidei, ac judicio ea commendavit. Verum ex hoc morbo tamen feliciter evasit, potuitque rursum

in ſtudia Literarum incumbere. Ut ſolent homines alienigenæ regionis ejus, in qua periculoſo morbo ægrotarunt, metuere ſibi non ſalubre Cœlum, ſicque ab Ravennæ Cœlo Riccius fertur metuiſſe, & decreviſſe alio ſe, Familiamque conferre. Sed cum Ferrariam petierit, de graviori aere cum leviori, & puriori commutando non magnopere ſollicitum eum fuiſſe, licet exiſtimare. Fortaſſe ſplendor Aulæ Principis ſui Riccium illexit, & ſpes, accidere poſſe, ut partæ ſibi famæ cauſſa vocaretur ad Principes pueros Alphonſum, & Aloyſium eleganti diſciplina inſtituendos: quoniam Cęlii Calcagnini nobiliſſimi, ac doctiſſimi Viri gratia florebat, tum etiam Bartholomæi Ferrinii docti, & honeſtiſſimi Civis, qui Herculi II. Principi erat a ſecretis, & cujus in funere laudationem poſtea Riccius compoſuit, vulgavitque. Anno igitur MDXXXVIII. Ravenna Ferrariam cum Uxore profectus eſt, eoque anno auctus eſt Camillo filio, quem unum habuit. Quoad pueri Principes eſſent per ætatem idonei, qui Latina eloquentia imbuerentur, Riccius Ferrariæ docendi munus obivit, ac fortaſſe in Gymnaſio publice profeſſus eſt Artem Rhetoricam. Videntur enim ejus Orationes, quas Ferrariæ habuit, ex hujuſmodi loci dignitate compoſitæ. Sed non amplius, quam duobus annis, exoptandum ei

fuit

fuit id, quod vehementer optabat. Anno enim MDXL. in Aulam traductus, stipendio digno Principe puero Alphonso ei constituto, cœpit illum optima via, & ratione Literis erudire. Non defuere, qui, ut solet, in Riccium obloquerentur, de quibus ita scripsit M. Antonio Flaminio: *Cum ego eam viam in meo Principe instituendo sequerer, continuo hic omnes veteres frontem contraxere, atque monstrum esse clamare cępere. Rationem meam profero; non audiunt, aversantur. Genus hominum, qui quod ipsi non viderint, alios vidisse indignantur, digni, qui a glandibus numquam abducerentur.* Sed apud Principem Patrem nihil proficere potuerunt, immo & Aloysium minorem Filium Riccio dedit eadem ratione instituendum; quorum alter Patri in Principatu successit, alter Cardinalis creatus est. Alphonso Camillum suum Riccius condiscipulum adjunxit, Literariæ æmulationis gratia. Sed cum ætas hujus id ferret, excultum politioribus Literis dare operam jussit disciplinæ Juris in Urbe Bononia, commendavitque Tullio Berojo, qui in politioribus Literis excellebat. Ad Camillum Filium, quod Jurisprudentiæ operam navaret, postea misit Censuram in Alciati quasdam Latinas voces ab hoc male perceptas, ediditque Ferrariæ anno MDLVI. Acerbius fortasse, quam par erat, invectus est in Alcia-

tum, qui eruditæ Jurisprudentiæ viam primus aliis commonstravit. Sed pupugerat Riccium acerba itidem ratio, qua Grammaticorum nomen, & Laurentium Vallam antea divexarat. Alciatus mansit Ferrariæ quoad vixit. Nam temporariæ tantum ejus ab illa quædam profectiones subinde fuerunt, vel pestis metu, vel belli, vel publicarum Legationum caussa. Eum Princeps in honore habuit, Viri doctrina, & eruditione præstantes, Cælius Calcagninus, Lilius Gyraldus, Silvius Antonianus, Vincentius Madius, Bartholomæus Ferrinius, Joannes Baptista Pigna certatim adamarunt. Quum in hac esset Aula, Libros tres de Imitatione inscriptos absolvit, quibus, & qui Auctores imitatione digni essent, in primis sapienter indicavit, & quæ vere imitandi ratio esset, eleganter edocuit. Volumina quoque concinnavit Epistolarum Latinarum, ex quibus apparet, eum Viros Literarum fama celebriores coluisse, fuisseque vicissim cultum ab illis. Composuit Dialogum de Judicio ad scribendum necessario, Commentarium de Consilio Principis, itemque de evitanda, & compescenda Iracundia, Orationesque bene multas. Quæ omnia doctissimum Virum ostendunt, & aureæ Latinæ eloquentiæ instauratorem. Literariam concertationem habuit cum Gaspare Sardio Ferrariensium Prin-

ci-

cipum Historico, adversus quem contendebat, neque *Atestinos*, neque *Estenses* Principes dicendos esse Latina scribendi ratione, sed *Atestios*. Verum hæc concertatio intra cancellos rei literariæ sese continuit. Et Riccius Christianæ animi demissioni obsecutus destitit ab incœpto, nec Sardium, cum posset, doctrinæ, elegantiæque præsidiis multo majoribus instructus, deturbare e suo munere scribendæ Principum Ferrariensium Historiæ umquam studuit. Quamquam de ratione Historiæ scribendæ multa egregie complexus est Epistola ad Baptistam Sarachium, qui a secretis fuit Principum Ferrariensium. Mire prudentiam cum doctrina conjunxit, quo factum, ut a Principe suo ad alios Principes non semel ablegaretur. Quod sibi a Pontifice Max. quoque mandatum muneris fuisse, narrat Riccius Bartholomæo Cavalcantio. *At motus*, inquit, *isti cum Gallici, tum Italici, meę vero a Pontifice modo ad Regem, modo ad alios Legationes, familiaresque curę minime leves, magno, ne id efficerem, hactenus mihi fuere impedimento*. Sed ut est gloriæ comes invidia, hæcque in Aulis Principum viget maxime, nec Riccio licuit ætatem omnem degere in Aula sine summo discrimine. Veneno tentatus est; quo periisset, nisi Antonius Brasaulius Musa (sic enim ejus nomen affert Riccius in Episto-

ſtolis ad eum ſcriptis) Medicus Ferrarienſis, ea tempeſtate ſummus, opportune opem attuliſſet. Hunc ita Riccius alloquitur. *Debebam tibi antea plurimum, Muſa; undique enim de me optime meritus eras; nunc vero, quidquid ſum, totum tibi acceptum refero. Niſi enim ipſe tua humanitate, tuaque ſponte preſto affuiſſes, de me, ac de miſera mea Familia actum eſſet. O impium venenum, quod latenter in meas venas infundebatur. Ego vero miſer, qui quidvis aliud, quam hoc, timuiſſem. Mihi jam funus parabatur, neque ego quicquam me egrotare ſentiebam.* Riccius vero vel certo ſcivit, vel ſuſpicatus eſt prudenti conjectura, a quo tentatus veneno fuiſſet. Subjicit enim in eadem ad Braſaulium Epiſtola. *Itane ille, de quo ego ita meritus eram? in quem tot mea Officia contuleram? pro quo etiam non levia pericula adiveram? Hanc mihi gratiam referre ſtudebat?* Id periculi evaſit Riccius, atque ita, ut ne veneno tantillum quidem imminuta valetudine ſit uſus ad longam ſenectutem. Sed incidit aliud ei quiddam ſane moleſtiſſimum. Emerat in Agro Ferrarienſi, cui nomen *Quarneſiano*, fundum, ac Villam. Sæpe ad eam ſe animi cauſſa conferebat, in ea otiabatur ſumma cum voluptate, eam ab ſuo cognomento *Ricciolam*, quaſi per blanditias, vocitabat. Fœmina quædam de hoc fundo, ac Vil-

Villa cum Riccio contendere cępit apud Judices, qui ſecundum illam pronunciarunt. Itaque fundus ille cum Villa evictus eſt. Quæ res ipſum afflixit ſupra quam credibile ſit; neve optatiſſima Villa ſibi carendum eſſet, grandi hanc, & fundum redemit pecunia. Cæterum potitus eſt Riccius quoad vixit gratia Principum Ferrarienſium, atque etiam ſplendidiſſimæ Venetæ Familiæ Corneliæ, apud quam & fortunæ, & gloriæ ſuæ jecerat fundamenta. Ferraria Venetias interdum ſecedebat ſenex, ut Cornelios ſuos inviſeret. Eam denique ſibi gloriam qua docendo, qua ſcriptis editis comparavit, ut ab inſtaurata Latina eloquentia anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Plura iis, quæ extant, fuere ingenii, elegantiæque ejus monumenta. Sed partim incendio periere, partim quia Familia ejus propagata non eſt, quæ ſcriptorum Majoris ſui curam gereret. Obiit Ferrariæ prope octuagenarius, ejuſque cadaver pompa funeris, comitantibus Aulæ Principis Nobilibus Viris, honeſtatum eſt, ac ſepultum in Æde Sacra, cui *della Roſa* eſt nomen, Riccii Domui vicina. Monimentum vero, quod tanti Viri ſepulcro inſcriptum, religionem quidem, ac pietatam redolet, ſed quantus in Literis ille fuit, non oſtendit. Habet enim:

D.O.M.

D. O. M.

Bartholomęus Riccius hic dormit in Domino, in ejus alterum adventum in ęternam gloriam excitandus. Vixit ann. LXXIX. *Ob.* VI. *Kal. Febr.* MDLXIX.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

OPERA.

TOMUS PRIMUS.

ra-

TOMUS SECUNDUS.

go

TOMUS TERTIUS.

ADDITAMENTA.

Her-

Hercules Franciscus Dandinus , genere , doctrina , probitate longe clarissimus , alter Duumvirum , quibus procurantibus Opera hæc Riccii collecta , ac typis commissa sunt , VII. Idus Novembris anni superioris morte immatura rebus humanis ereptus , absolutam editionem , quod vehementer optaverat , videre non potuit . Gratum propterea Lectoribus futurum speramus Carmen hoc ἐπικήδιον *Joannis Antonii Vulpii , quem Dandinus valde amabat , & quo utebatur familiarissime , ab eo scriptum , ut profitetur , non laudis studio ullo , sed ad carissimi capitis desiderium aliqua ex parte leniendum .*

IN FUNERE

HERCULIS FRANCISCI DANDINI ,

Patricii Cæsenatis , Comitis , Jurisconsulti , & Pandectarum Interpretis in Gymnasio Patavino ,

CARMEN

JO. ANTONII VULPII ,

Philologi , ac Rhetoris in eodem Gymnasio .

NEc , Dandine , *tibi Cœlesti sede recepto*
Debentur lacrimæ , nec solvere mœsta querelis
Ora decet , quando celsi tibi Rector Olympi
Humanos propera finivit morte labores .

Quo pietas, quo prisca fides, quo te aurea morum
Simplicitas, nullaque infectum labe vehebat
Pectus, sanctarumque vigil custodia Legum,
Venisti celer, & prælustri victor ab arce
Spectas, nostra dies quanta sub nube prematur,
Et mala rugosę gaudes fugisse senectæ.
Cara quidem somnos rumpit singultibus uxor,
Inclamatque viri manes, gelidumque retentat
Sæpe torum: faciem taciti, vocemque loquentis,
Et sibi, væ miseræ, complexus fingit inanes.
Sæpe fovet gremio communia pignora natos,
Qui referant olim studia & benefacta parentis.
Nunc Patriæ gemitus, nunc flentes audit amicos:
Et scriptis commissa novant monumenta dolorem.
Tu tamen umbra memor noctu delabere Cœlo,
Si licet, & lacrimas terge, ac solare relictam:
Tu, Dandine, *doce, quæ præmia magna sequantur*
Virtutem, castæ quæ sit fiducia vitæ.
Illam turbat amor: tenero sed pugnat amori,
Nullis victa malis, & casu fortior omni,
Isabella, gerens mentemque animumque virilem.
Jussa Dei exequitur, cultuque assueta modesto
Femineas odit nugas, materque paternis
Fungitur heu vicibus; vel nomine læta mariti.
Utque gubernator, fluctu quassante carinam,
Avertit proram a scopulis, ventosque minaces
Arte domat facili: tum clavo adfixus & hærens,
Per maris irati non territus æquora fertur,
Do-

Donec in optato consĭdat litore navis :
Sic illa adverſis duriſſima pectora rebus
Opponit , viduoque jacet contenta cubili.
Jam pergit dulces natos educere , mæſtæ
Dulcia membra domus : revocat jam calle ſiniſtro
Incautos , & mille dolos , & floribus anguem
Tectum aperit , vulgúſque jubet vitare profanum ;
Herculis *uſa ſui exemplis : ut mœnia Romæ*
Viderit ille puer , ſtudiis vigilare ſeveris
Ut ſolitus , juvenumque leves contemnere curas :
Ut duce ſub patruo ſancti penetralia juris
Intrarit , meritos tuleritque inſignis honores.
Barbariem quantis aggreſſus viribus , & quot
Egerit eximios domito bonus hoſte triumphos.
Hercule *digna viro , mulier lectiſſima , ſalve ,*
Salve , legitimus quæ caſto atque unicus ignis ,
Dum vixit , fueras ; neque enim impermiſſa movebat
Ulla Venus , nullæque animum flexere puellæ
Te præter : ſervat flammam cinis ipſe ſepulti.
Nec vetus Alcides noſtro ſe conferat , Hydram
Contuderit licet , ac Stymphalia monſtra ſagittis
Fixerit , agreſtemque ſuem Calydone precante
Perdiderit , tergum Nemeæi pelle leonis
Inſtratus , vindexque datus juſtiſſimus Orbi.
Corporibus ſolis nempe illa antiqua nocebant
Portenta : hic peſtes animorum ſuſtulit , unde
Pars hominis melior languet , curvataque Cœlum
Ignorat patrium , & falſis decepta figuris

Serpit humi , fontemque boni per devia quærit .
Qui mores puerum deceant , quæ mentibus artes
Discutiant nebulam , quo candida fœdere virtus
Jungatur Musis , pravaque cupidine pectus
Ut careat , vitæ quæ sint elementa beatæ ,
Socraticis docuit sermonibus , & sale puro
Inspersit chartas ; fulvùm queis vilius aurum .
Quales si cuncti vellent legisse libellos ,
Non vana efficerent homines præcepta superbos ,
Qui sæpe , utilibus missis , genus omne pererrant
Nugarum , peregrina bibunt avido ore venena ,
Sublimes volitant , nubes & inania captant .
Mox Helicaonias Roma migravit Athenas ;
Sic voluistis enim , Veneti capita inclyta Patres :
Atque hic bissenos , juvenum plaudente corona ,
Sedulus exegit clarandis Legibus annos .
Te , Cai , te , Paule , novo te , Scævola , cultu
Ornavit , te , cui dederat gens Ulpia nomen ,
Te pariter , gladio quem sustulit Antoninus :
Vos , reliqui proceres , quorum de fontibus orta
Justinianei nodosa volumina juris .
Hercule *sublato , florens Academia quondam ,*
Luget , & auratis mutavit vestibus atras ,
Non visura parem , seu quis sibi clausa recludi
Poscat , seu doctæ capiatur flumine linguæ .
Rumpere , livor edax : tu , livor , in Hercule *magno ,*
Nil potes : ille domos Superum tenet , ille sepulcro
Non tegitur ; puros liquidi trahit ætheris haustus ,
Mi-

Miraturque animos , & fortia facta suorum .
Tecum est in primis , Hieronyme , *cui latus ardet*
Purpureæ splendore togæ , quo maxima Roma
Læta fuit , quo se jactat Dandina *propago .*
Nec minus Anselmo *fruitur patruoque , magistro-*
que ,
Inque vicem tanto bonus ille exultat alumno .
Optime amicorum , cui non sine numine Divum
Carus eram , faciles nostris qui lusibus aures
Præbebas , memorique animi regione locabas ,
Prospice me summa Cęli de parte sereni ,
Si fas , & veteres Superi retinetis amores ,
Si merui ; atque humilis tangat te cura Poetæ .
Heu quæ me Syrtes pavidum , quæ me æquora
fluctu
Impediunt ; qualis circumtonat atra procella !
Apparent diræ facies , & conscia sævit
Mens , trepido præsens intentant omnia letum .
Redde mihi precibus clementia Judicis ora ,
Effice , ut antiquas valeam rupisse catenas ,
Quæ miserum tardant , & libertatis egentem ,
Ut mihi placato veniat mors denique Christo .

ANIMADVERSIONES
A D
BARTHOLOMÆI RICCII
LUGIENSIS OPERA.
TOMUS PRIMUS.

I. Oratio pro T. Annio Milone in M. Bruti sententiam.

ALoysii Atestii Bartholomæi Riccii in humanioribus literis Discipuli hortatu, atque adeo impulsu hæc Oratio composita fuit pro T. Annio Milone in M. Bruti sententiam. Non ita tamen Bartholomæus Riccius in ea componenda se totum Bruti sententiæ addixit, ut ad ejus tantum rationem suam hanc defensionem circumscripserit, sed multa etiam de suo addidit, quæ in Milonis defensionem commode cadere videbantur. Summa dicendi vi, summoque artificio in Clodium ejus cædis caussam, atque adeo in Remp. ipsam manifeste confert; in Clodii morte Reip. salutem, & omnium Civium tranquillitatem, atque securitatem, Deorum etiam reverentiam, cultum, atque Templorum incolumitatem constitutam esse convincit; apposite respondet adversario objicienti, non fuisse privati viri publicas injurias ulcisci; non licere Civem a Cive interfici; Rempublicam habere suos fasces, suas secures, suos Magistratus, quibus suos sontes suo supplicio afficiat, quæ omnia in adversarium ipsum rejicit, argumentis, atque majorum exemplis propositis, ut Discipulo aliquam imitandi formam hoc quoque modo demonstret. Quemadmodum autem in Libro primo de Imitatione Riccius docuerat, Ciceronem in animis Judicum ad misericordiam lenius traducendis ceteris Oratoribus longe præstitisse, & in ea postrema dicendi virtute ita dominatum esse, ut in iis caussis, in quibus plures Patroni adhiberentur, perorationem ipsi omnes conjunctissimis sententiis deferrent; sic ipse in hujus Oratio-

tionis conclusione omne studium , vires omnes eo confert , ut Patriam , Remque publicam ipsam inducat ad caussam omnem cædis in se recipiendam , vocibusque suis æquissimos Judices rogandos , ut Miloni ignoscant , atque ex suo judicio quasi triumphantem ad suos lares emittant.

II. Oratio in Archiam Poetam.

Sicuti Orationem pro Milone , ita hanc in Archiam Poetam ad ostendendam Discipulo suo imitandi formam a contrario Bartholomæus Riccius confecit. Cum enim in scribendo ab adolescentia stylum suum exerceret , idque varie faceret , aut ex Hetruscis scriptis , quæ magis ipsi probarentur , in Latinum transferendo , aut eorum persona suscepta , quibus Cicero scriberet , ei respondendo , aut ad ejus ipsius imitationem aliquid effingendo , aut etiam in caussis eum defendendo , quem ipse accusaret , aut contra accusando , quem ipse defenderet , dictionem suam occuparet , animo secum reputans , quid Gracchus accusator in Archiam Poetam dicere , aut contra tot præclaros Viros , qui illi præsto adessent , excogitare posset , quamobrem ex Civitate ejiceretur , tandem accusationem hanc satis justam composuit , quæ diligenter lecta , & attente examinata firmioris accusationis multum habere judicabitur. Ponit enim ob oculos Judicum , Archiam Poetam ex omnibus Civitatis Romanæ adeundæ rationibus exclusum esse ; ostendit , cur a suis Græcis omnibus Civis sit appellatus ; qua ratione a Lucullo , & aliis præstantissimis Civibus Civis habitus fuerit ; alienos in Civitatem Romanam tribus modis venisse demonstrat , uno , si in Urbe more , atque instituto suo Civitas detur ; altero , si Fœderatorum lege aliqua , quibus adscriptus sit ; tertio , si ab Imperatore in exercitu de Consilii sententia , & sua virtute aliqua præstanti quis Civis fiat , quorum primo , & postremo cum Archias Poeta nullam Civitatem habeat , tertio præsidio eum spoliare , & nudare conatur , ut necesse sit , eum omni caussa cadere , & Civitatem omnem amittere. De hac Oratione mentio fit in Epistola ad Honorium Stellam , quæ habetur Tomi secundi pag. 175. *his verbis* : Mitto tibi tres Orationes meas nuper editas , in iis , quam dicebam in Archiam , ut videas , qua ratione tu quoque , si quid tale aggressus fueris , pertractes.

III. Defensio Manfroniana, *sive* Deprecatio pro Jo. Paulo Manfronio.

Cum Jo. Paulus Manfronius, qui maxima necessitudine cum Hercule II. Ferrariæ Duce conjunctus erat, eoque familiariter utebatur, in suspicionem venisset, ab eodem sorori suæ viduæ Matronæ pulcherrimæ, cui nomen Isabella, vitium oblatum esse, qualibet ratione vitam Duci eripere sæpe molitus est. Cum autem ejus insidiæ semper detectæ fuissent, ac propterea capitis condemnatus esset, Bartholomæus Riccius ejus caussam perorandam suscepit, & coram eodem Duce strenue defendit. Exhibet itaque reum de veneno, & de cæde multis in locis Principi suo constituta sua sponte, nullis adhibitis tormentis, confitentem; utrumque scelus tantum esse fatetur, ut, si reus vel in culeum tamquam parricida insuatur, vel tauro æneo leviter succensis ignibus torreatur, vel alio quolibet fœdo, ac tetro genere mortis, & novo, ac inusitato cruciatu torqueatur, numquam satis pœnæ dedisse videri possit. Duobus modis injurias inferri ostendit, uno vi, fraude altero; posteriorem multo flagitiosiorem esse, & majori dignum odio, ac vindicta; quanto vero vi tetrior est dolus, tanto venenum reliquis fraudibus omnibus esse sceleratius, cum cæteræ omnes insidiæ defensionem aliquam habere possint, in veneno autem dato nulla vis, nullum præsidium, nulla defensio, nullus casus opituletur. Principis Herculis prudentiam Gentibus omnibus in rebus omnibus sive publicis, sive privatis maxime perspectam esse, justitiam percognitam, temperantiam exploratam; fortitudinis specimen hac in caussa dandum esse in vindicta ista æquissima Deo condonanda, in continenda tanta, tamque justa iracundia, ob cujus laudem cum C. Cæsare comparatus perpetuis omnium Historiarum commendationibus prædicabitur, atque adeo ipsi anteponetur. Ubi autem reum omnibus Advocatis, omnibus Patronis, propinquis fere omnibus destitutum demonstravit, tanta vero turpitudine caussæ, tam flagitiosa, tam omni dedecore plena onustum, ut omnem eloquentiam facile superare possit, duas nobilissimas Fœminas, alteram ejus uxorem Lucretiam, alteram ipsius sororem Angelam, fingit ad ejus clementissimos pedes jacentes, genua circumplexas, illos lacrymis rigantes, his oscula defigentes crebér-

berrima, fletu, singultu miseriam testantes suam, petentesque, ut cæteras virtutes hac una tam ampla, tamque splendida ignoscendi, atque commiserendi ratione illustret, & cumulet.

IV. Gratiarum actio Herculi Atestio nomine Lucretiæ uxoris Jo. Pauli Manfronii.

Summa Herculis II. Ferrariæ Principis humanitate, & clementia reo Jo. Paulo Manfronio penitus absoluto, libero ad suos lares emisso, & uxori, ac sorori restituto, nomine uxoris eidem Principi Bartholomæus Riccius gratias egit, eique vitam, quam æquissimo jure eripere poterat, benignissime condonatam eum totam debere palam professus est. Antequam autem ad gratiarum actionem veniret, pauca ad ejus meriti magnitudinem pertinentia percurrit. Duas res in primis a Principe expeti solitas, videlicet justitiam, & clementiam, eum in judiciis ita exercere, ita utrique, quod suum est, æque impertire, ut in utroque egregie excellat; hodierno tamen die, quam clemens, quam misericors, quam magno animo fuerit, qui non videat, eum Solem non videre, cum ei hosti ignoverit, & suavissimam hanc vitæ usuram condonaverit, qui se ipsi & venenum misisse, & multis in locis cædem constituisse, & Cives, ac familiares ipsius interfecisse sponte confessus sit, ut in una misericordia toties reo vitam concesserit, quoties in ipsum & scelerate cogitarit, & nefarie etiam egerit. Certe eum parentibus clementioribus uti non potuisse, cum ipse pietatem patriam superarit: benigne faciendi rationem ex maximis virtutibus esse homines ad se amandum trahentem; atque, si qua alia, cogentem maxime; ejus comitem, & sociam clementiam esse, hanc omnes æque probare, & in Cœlum tollere; per hanc eum, quod difficillimum est, sine invidia laudem, ac gloriam maximam invenisse, quam nulla temporis longinquitas, nulla hominum oblivio sit umquam obscuratura: Lucretiam itaque Manfronii uxorem pro tanto in se beneficio, pro marito charissimo sibi restituto, pro altera vita sibi reddita immortales gratias agere, eamque vitam, quam viro suo tam benigne elargitus est, posthac totam ipsi addictam esse polliceri.

V. Oratio ad Alphonsum Ferrariæ Principem, quo die Princeps creatur.

R*Es omnes suam perpetuitatem hoc uno certo ordine conservare ostendit, ut vetustiores a junioribus exceptæ, ac quasi renovatæ incœptum cursum suum in natura retineant, parentibusque liberi aut in familia gubernanda, aut in populis regendis ex ordine succedant, sicuti Herculi parenti optimo in præsens Alphonsus Filius Dux succedit. Itaque populum universum propterea in Templum majus Urbis convenisse significat ad gratias Deo agendas, votisque omnibus eum deprecandum, ut Principatus initium ratum, faustum, fortunatumque omnibus evenire velit, in longissimum tempus feliciter proroget, & bellum, pestilentiam, aliamque quamlibet calamitatem procul amandet. Addit, eumdem populum Principem orare, ut jus æque omnibus dicatur, suum cuique tribuatur, litesque intra suum certum tempus terminentur, neque solum Urbes, sed ager etiam quodam hominum genere humano sanguine sicas suas pascentium perpurgetur, Legationes cito expediantur, subjectorum postulationes ab ipso legantur, ejusque judicio subscribi jubeantur, ubertas, rerumque omnium copia, atque vilitas curetur, ut ab alienis bene audiat, a suis vero ardenter ametur. Hæc quod attinet ad aliorum preces, & gratiarum actionem; quod vero ad Bartholomæum Riccium, Deo gratias agit, etiam multo majores habet, quod se tamdiu in vita reservarit, ut eum Principem, quem a puero eduxerat, & in optimis studiis paterne instituerat, ad eum Principatum evectum videret, quem naturæ desiderio magis cupere, quam annorum suorum ratione sperare poterat, rogatque, ut omnia ipsi feliciter secundet, &, si quid ad ejus felicitatem cumulandam desideretur, liberaliter adjungat.*

VI. Oratio, in qua disputatur, utrum melius, an Rex absens per alium, an magis ipse præsens bellum gerat.

P*Roponit problema, utrum utilius sit in bello, si Princeps, aut Rex, quorum caussa bellum geratur, ipsi Duces, an per alios, illud gerant. Inducit itaque duos adolescentes utrumque pro sua parte satis copiose disputantes, alterum, qui per alios bellum gerendum censet, Re-*

gem-

gemque ab exercitu procul amovet, contendentem, in bello rei summam in summum discrimen non esse adducendam, quæ profecto in certius, ac magis præsens periculum offerri non potest, quam Regis præsentia. Si enim aut capiatur, aut occidatur, tum cum eo postea bellum confectum, atque sepultum esse. Non videri esse e Regia dignitate Regem maximum cum privatis militibus in certamen descendere; Regem in exercitu multifariam hosti prodesse, quia cum homines in bellicis periculis versentur tum magnæ prædæ spe, tum summo summæ gloriæ desiderio, hosti nihil utroque majus, nihil præstantius offerri potest, quam cum Rex ipse præsens bellum suum administrat; Regem non tantum formidinis, atque metus sua præsentia hosti injicere, quantum etiam studii, atque conatus in eodem excitare; Respublicas denique per optimos Imperatores, per fortissimos Duces, per exercitatissimos milites bellum gerere; ex quibus omnibus infert, videri satius esse, Regem consilio domi bellum administrare, quam foris aut in acie instruenda, aut exercitu ductando, aut manu conserenda. Alterum vero adolescentem exhibet diluentem singula, quæ adversarius pro se attulerat. Ubi autem utriusque caussa planius perorata apud Alphonsum Principem est, ejusdem sententiam postulat, cui nullam provocationem adolescentes habituros pollicitos esse profitetur.

VII. Oratio in Bartholomæi Ferrinii funere ad Lanfrancum Gypsium.

Bartholomæus Riccius amici Ferrinii mortem Oratione, quæ publice haberi non potuit, prosecutus eamdem communibus amicis de scripto recitatam publica descriptione ad Herculem Atestium, & alios misit, ut amici sui liberos ab omni re imparatissimos singulis commendaret. De illa mentionem facit pag. 23. Tomi secundi, ejusdem mortem describit pag. 312. laudes persequitur pag. 596. & 602. ejusdem Tomi. In hac autem Oratione miro plane modo ut cætera, ita amici Ferrinii admirabilem in scribendis Epistolis excellentiam, præclarum ingenium, fidem singularem, humanitatem, ac benignitatem incredibilem, rectam vitæ rationem, egregias corporis, & animi virtutes, Legationes jussu Herculis II. Atestii Ferrariæ Principis feliciter obitas ob oculos ponit, ut amico par pari redderet, & animum

erga

erga ipsum gratum, *& memorem probaret*, *cum* omni studio, ac prudentissimo consilio suo apud Herculem, *ut ipse Bartholomaeus Riccius ait*, rem Ferrariensem, hoc est, senectutis suae honorificentissimam quietem & diu, & fortiter sustinuerit, & tandem confecerit.

VIII. Oratio, qua Principes Christiani excitantur ad arma summa animorum conjunctione in Turcarum Regem sumenda.

DUo de octoginta annos natus Bartholomaeus Riccius ad declarandum animum suum cum honestissima caussa, eaque Christianissima, conjunctissimum Orationem hanc composuit, & Pio V. Pontifici Maximo dicavit. Cum enim videret, Regem Thracum vix a Melitensi obsidione discedentem iterum in Christianam Remp. rabiose inferri, & in Pannoniam multo majores copias ad novum bellum inferendum trajicere, atque Christianis unam tantum concordiam ad tantum hostem contundendum desiderari perspiceret, ad hanc unam in primis inter se conciliandam eos pie cohortatur. Ostendit itaque, si vere, atque Christiane in istum crudelissimum, ac sempiternum hostem suum conspirent, & ad sanctioris feederis firmiorem rationem stabiliendam ipse quoque Summus Pontifex fidem, atque auctoritatem suam interponat, eos sine dubio atrocissimum hostem etiam, quam est, duplo potentiorem facile superaturos; pugnare quidem Turcas ardenter pro impostore vaferrimo Mahumeto, & falsissima religione; verumtamen eosdem apud Melitam insulam magnam cladem a Christianis accepisse; eorum Regem Principum Christianorum discordia potentissimum, atque victorem redditum semper fuisse, consensione tamen, & concordia eorumdem ejus potentiam, & vires debilitari, atque adeo penitus posse infringi; maximum universae Reip. Christianae ex Turcico bello exitium imminere; Deum tamen illud facile depulsurum; victoriae praeter summam gloriam ingentes opes, atque divitias praemium esse futuras; hoc ab ipsis populos exposcere; hoc filios jure aequissimo postulare; hoc bonos omnes, pueros, senes, viros, mulieres rogare, atque omnibus precibus orare, hoc universam gentem Christianam, Sacerdotes cujusque ordinis, cujusque generis obsecrare, atque obtestari, Christum denique ipsum flagitare.

IX.

IX. Oratio in funere Francisci Primi Regis Galliæ.

ORatio hæc in iis Inferiis recitata est, quas Hippolytus Atestius Cardinalis Francisco Primo Regi Galliæ de se optime merito Ferrariæ magnificentissimo apparatu persolvi jussit, & Renatæ Ferrariensium Principi Sorori ejusdem uxoris tamquam consolatio a Bartholomæo Riccio oblata, ut in Regis laudibus cum eo recensendis illud solatium caperet, quod si ipsi dolorem universum exhaurire non posset, certe eum magna ex parte levaret. Inde igitur exorditur, unde Franciscus Primus Rex Regiæ dignitatis initium sumpsit, & alterum, ac vigesimum ætatis annum agens ad Remp. gerendam accessit Aloysio Regi, ac socero suo succedens. Ejus consilium in deliberando, celeritatem in agendo, prudentiam, & virtutem in utroque conficiendo laudibus extollit, neque uni Regno, sed multis Regnis solum satis esse potuisse demonstrat: Helvetios, qui per summam injuriam socero Mediolanum eripuerant, gloriabanturque, se Principum domitores *esse, superatis Alpium jugis, exercituque in Italiam festinanter trajecto, atroci certamine, acrique pugna ab utraque parte commissa, ab eo superatos, ac victos, Mediolanumque receptum, totam Insubriam imperio adjectam ob oculos ponit; ejus liberalitatem, facilitatem, humanitatem insignite eximias commendat: in Christianam Remp. fidem, erga Summos Ecclesiæ Pontifices reverentiam, itinera Bononiam, Massiliam, Nicæam, ut cum iisdem colloqueretur, suscepta; Romam, Clementemque ipsum P. M. primum Romæ, deinde in Urbevetana obsessum ab Imperatore Lautrechio ejus jussu liberatum commemorat; Urbem nobilissimam in Oceano ad Sequanæ ostium conditam, Literatos Viros, eorumque posteros locupletatos, Sacerdotia, & beneficia tum in suos, tum in alienos large collata, aliaque multa, quæ Regem maximum, maximisque laudibus dignum reddidere, legentium oculis exhibet.*

X. Oratio pro Isaaco Abravanellio Hebræo.

ISaacum Abravanellium Hebræum apud Herculem II. Atestium destructis eidem insidiis accusatum hac Oratione Bartholomæus Riccius defendit. Caussa quidem gravissima erat, cum in ea de cæde Principi constituta ageretur, argumenta fortissima, literæ conjuratorum afferrentur, accusatur

tor autem tam acris, tam audax esset, ut non modo rationibus judicium urgeret, sed suo capite ipso vincere conaretur; Bartholomeus tamen Riccius eloquentie suæ vi, & miro dicendi modo obtinuit, ne vir innocentissimus ab audacissimo latrone opprimeretur, ne honestissimi, ac probatissimi Cives per miseros cruciatus necarentur, ne Princeps sceleratissimi hominis dolis in maximum mœrorem, in suorum autem Civium multo majus odium raperetur, dolis, ac toto maleficio detecto, & quietissimo otio, ac securissima tranquillitate restituta.

XI. Epistola ad Herculem Atestium Ferrariensium Principem, in qua probatur ad Latinam rationem *Atestium* nomen esse ejus Familiæ, non autem *Atestinum*, multo vero minus *Estense*. In qua multa de Prænomine, Nomine, & Cognomine disputantur.

C*Um Viri doctiores, qui Bartholomæi Riccii ætate Ferrariæ florebant, non mediocriter mirarentur, cur Familiam* Estensem *ab antiquis temporibus ab omnibus constanter* Atestinam, *vel* Estensem *appellatam ipse novo vocabulo in scriptis suis* Atestiam *nuncupandam contenderet, Dux Ferrariæ Hercules II. ab eo petiit, cur id hac de re sentiret, potius ut intelligeret, quibus rationibus, & argumentis in hanc opinionem, & sententiam venisset, quam ut eam reprehenderet, & rejiciendam putaret. Itaque Duci Herculi epistola hac eruditionibus plurimis referta, & eleganti dictione exarata Bartholomæus Riccius respondit eo consilio, ut non solum Duci satisfaceret, sed etiam rerum antiquarum studiosis inserviret ad prisca monumenta intelligenda, & sine ullo errandi timore exponenda. Censet igitur, Cognomina, veluti Gentis, & Familiæ indicia, per* I *pronuncianda esse, dicendumque v.g.* Tulliam Familiam, Corneliam, Cæciliam, *& ad ejus imitationem* Atestiam, Gonzaghiam &c.

XII. Defensio contra Gasparem Sardum de Prænomine, Nomine, & Cognomine, ubi etiam *Atestium* de Principibus Ferrariensibus magis dicendum, quam aut *Estense*, aut etiam *Atestinum* plenissime comprobatur.

C*Ontra novam Bartholomæi Riccii opinionem de terminatione Cognominum Gaspar Sardus Ducis Herculis*

Fer-

Ferrariæ Principis Historicus insurrexit, editaque in vulgum epistola, (quam habes in Tomo tertio pag. 225.) Bartholomæum Riccium male sentire asseclis suis persuadere conatus est. Itaque Bartholomæus Riccius cum graviter a Gaspare Sardo se offensum putaret, defensionem hanc contra ipsum acriore dictione, & vehementiori stylo scripsit, in qua ostendit, se neminem in epistola sua, in qua quærit, quamobrem Principum Ferrariæ Familiam potius Atestiam, *quam aut* Estensem, *aut etiam* Atestinam, *in omnibus scriptis suis appellarit, eorum nominasse, qui & secus sentiunt, & scribunt; extitisse tamen Gasparem quemdam Sardum, qui non solum contra suam sententiam scriberet, sed in suum etiam nomen insolentius inveheretur; rationemque reddit, cur ejusdem Sardi epistolam eo modo exagitet, quo Cicero M. Antonii epistolam, quæ undecimum locum inter Philippicas tenet, acriter exagitavit. Cæterum quo defensio isthæc epistola ad Herculem Ducem a Bartholomæo Riccio missa eruditior est, & majoribus, splendidioribusque elegantiæ coloribus aspersa, ita multo acrior, ac vehementior, in eaque præter consuetudinem suam Gasparem* Sardum, *non* Sardium *appellat, quia, ut ipse ait, erat* tam barbarus, ut ne Latino quidem nomine dignus esset. *Utpote vero a Bartholomæo Riccio valde elaborata, digna est, quæ legatur. In ea enim juxta illud Græcorum οἰκονομεῖ τὴν ὑπόθεσιν, nempe* argumentum in rem suam flectit; *& de ea recte dici possunt, quæ ad Atticum Cicero scribit, cum pro Domo sua dixisset:* Acta res est accurate a nobis, & si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si umquam alias fuimus aliquid, tum profecto doloris magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit.

TOMUS SECUNDUS.

Epistolarum Libri duo ad Herculem Atestium, & ad reliquos Atestios Principes Lucretiæ, & Leonoræ Sororibus Atestiis Principibus inscripti.

D*E his epistolis mentionem ipse Bartholomæus Riccius facit in Tomo 2. Epistolarum ad Antonium Ferrium scribens pag.* 432. Dono tibi Atestias epistolas nuper editas mitto. *Sic pag. 449. ad Bernardinum Lauredanium earum editionis meminit.* Scio, te recordari, te mecum fuisse, cum proxime duos epistolarum libros Ruscellio reliqui, quos ipse postea meo nomine, ut dicunt, imprimendos

da-

daret. *Eo hæ epistolæ fere omnes tendunt, ut Atestiorum Principum laudes per eas in vulgum disseminentur, eorumque virtutes omnibus patefiant.*

Epistolarum familiarium Libri quatuor.

H*I quatuor Epistolarum familiarium libri Jo. Baptistæ Campegio Balearium majoris Episcopo sunt nuncupati, quos sub ejus nomine editos eum habere vult, si non relatæ ejus veteris officii, saltem acceptæ novæ gratiæ loco. Multis eruditionibus hæ Epistolæ plenæ sunt, quippe quæ textus non paucos tum Poetarum, tum Oratorum Latinorum a Bartbolomæo Riccio expositos exhibent. In illis multa habentur de librorum antiquorum forma, & conglutinatione, de forma pariter epistolarum, earumque complicatione, & inscriptione, vulgo* Mansione, *de pileo, servis pileatis, aliisque hujusmodi.*

Epistolarum familiarium Libri octo.

L*Ugo Patriæ suæ Bartholomæus Riccius eos inscripsit, in quam omnes homines totos summa pietate natura adstringi significat, eos vero in eam tanto magis incendi, quanto majorem ex ea dignitatem, vel etiam utilitatem sunt consecuti, omnique ratione conari, ut, qui duplici de caussa ei plurimum debeant, pari item ratione gratissimi esse videantur. In his epistolis multa leguntur, quæ Bartholomæo Riccio acciderunt, neque desunt, quæ non mediocriter Ferrariensi Historiæ illustrandæ inserviunt. Ita vero Ciceronem Bartholomæus Riccius in iis imitatus est, ejusque scribendi rationem est assecutus, ut Ciceronis ipsius esse videantur. Magnam porro familiaritatem, & amicitiam ipsi cum Viris literatis sæculi decimi sexti intercessisse luculenter passim ostendunt. Singulis autem Bartholomæi Riccii epistolis argumenta a me recens confecta ego Antonius Zanolini apposui, ut Latinæ linguæ operam dantes ad eas legendas magis excitentur, & ab iis facilius intelligantur.*

TOMUS TERTIUS.

De Imitatione Libri tres ad Alphonsum Atestium Principem suum in literis Alumnum, Herculis II. Ferrariæ Principis Filium.

L*ibros tres de Imitatione Alphonso Principi Bartholomæus Riccius primum inscripsit, deinde eosdem Aloysio Fratri*

tri in secunda editione nuncupavit, ut iis in hisce humanioribus studiis sibi Alumnis hoc etiam docendi modo non deesset. Itaque imitationis laudes persecutus ostendit, imitandi rationem plurimum in omni facultate conducere; ob oculos ponit duas de imitatione opiniones non leviter inter se dissentientes; imitatores ipsos suam inter se laudem habere significat; sententiam suam de imitatione exponit; in qualibet facultate Auctores optimos propositos esse debere ad imitandum suggerit; imitandi rationem cum hominum studiis, tum etiam naturæ beneficio, plurimum prodesse demonstrat. Præterea indicat, Ciceronem, & Virgilium imitationem laudasse, & præstitisse; quinam imitari, vel non imitari dicendi sint; imitationem dari in re multiplici, non simplici; duas esse ad imitationem vias, docendi unam, scribendi alteram; aliquid semper ex imitatione animadverti posse, quaque ratione imitatio facienda. Denique ubi imitationis præcepta tradidit, Ciceronem ad imitandum proponit, concluditque, imitari, æmulari, sequi tria esse omnino specie diversa, genere tamen quodam sic similia, ut, quod sit alius, vicissim ad alius commoditatem transferatur. In hoc autem Opere passim de Auctoribus Latinis judicium habes, & sibi Bartholomæus Riccius ita constans, & æqualis in dictione, & eruditione est, ut jure merito hoc Opus literatorum Virorum manibus adhuc tritum eam laudem Auctori suo pepererit, qua majorem non solum consequi, sed ne optare quidem quisquam possit.

De evitanda, atque compescenda Iracundia ad Julium Cochium suum Discipulum.

Cum Julius Cochius adolescens ad iram maxime proclivis, ob cujus impotentiam interdum ea ageret, quæ modestum virum non decerent, sub disciplina Bartholomæi Riccii viveret, & humanioribus literis operam daret, ut ejus morbo depellendo præsentissimum remedium adhiberet, & iracundiæ fœditatem ob oculos poneret, libellum hunc conscripsit, eique dicavit, in quo iracundiæ turpia damna recenset, eamque gravissimam rationis, & orationis adversariam exhibet. Ostendit, eos, qui iracundiori sunt ingenio, ex Platone ad disciplinas quidem percipiendas aptos esse, ad Rempublicam autem gubernandam minime, proponitque in iracundia Socratem imitandum, qui Xantippam

uxo-

uxorem suam in mensæ eversione gallinæ similem esse dixit, neque ulterius excanduit. Ubi autem multa scitu dignissima ad iracundiam pertinentia tradidit, iratum hortatur, ut ad speculum accedat, in eoque se videat, ut ex oris deformitate animi turpitudinem conjiciens, ab ita, tamquam a teterrimo monstro, abhorreat.

De Consilio Principis Libellus ad Bartholomæum Ferrinium Herculis Atestii Ferrariæ Principis Scribam integerrimum.

OPus hoc Bartholomæo Ferrinio de se optime merito Auctor inscripsit eo tempore, quo vulgo ferebatur, eum a secretis Principi brevi eidem a consiliis futurum. In eo ostendit, maxime Principi profuturum, si quoddam veluti Seminarium Consiliariorum habeat, quibus in rebus dubiis decernendis utatur, cum multis rationibus id consilii probetur, in quo plures Consiliarii a Principibus adhibentur. Docet, cujas Consiliarius esse debeat; grandioris ætatis, & ex suis, non alienis, si cætera sint paria, deligendum esse suggerit; in consilii recte capiendi ratione prudentiam, & fidelitatem in primis spectandam esse demonstrat; adulationem omnino fugiendam admonet; quibus cognitionibus Consiliarius instructus esse debeat, ob oculos ponit; affinitatem inter consilium, prudentiam, & judicium esse, ac propterea aliud pro alio sæpius usurpari asserit; indicat, consilii maturitatem ætatis maturitatem sequi solere; consilium malum consultori pessimum evadere; Consiliarii finem honestum esse debere; mulierum oonsilium optimum esse, si ex tempore sumatur, contra vero non ita; plurium consensionem, atque sententiam plus valere, quam paucorum; denique Consiliarios hortatur, ut in consiliis omnibus honestum propositum habeant.

In quasdam Andreæ Alciati Latinas voces ab eo male perceptas. Ad Camillum Filium.

CUm Grammaticis ab Alciato inimicitiæ ab adolescentia susceptæ, & ad ultimum spiritum firmiter, & constanter retentæ ipsum acrem, ac vehementem eorumdem reprehensorem ubique ostendunt. Hinc factum, ut Bartholomæus Riccius, qui Grammatici nomine gloriabatur, vehemen-

menterque gaudebat , cum Alciato ſæpius contenderit , ejuſque Latinam locutionem ad trutinam revocarit præſertim in Parergon , *Laurentii Vallæ ſententiam de Latina dictione pro virili defendens . M. Antonius Muretus etiam Alciatum eumdem , quod ſcripſiſſet ſenticeta ſibi videri Taciti ſcripta , ita irridet , ut* calicem mulſi afferri jubeat , ut flere pupus hic deſinat .

Dialogus de Judicio.

OPus de Judicio *inſcriptum , & Aloyſio Ateſlio Cardinali dicatum ex eo Bartholomæus Riccius a ſe confectum narrat , quod , cum in Beriguardo ampliſſima , ac Regia Villa idem Cardinalis cum aliquot doctiſſimis Viris ruſticaretur , acciderit , ut ad ipſorum aures hæc famuli cujuſdam verba advolarent :* nullum habes Judicium . *Tres igitur graviſſimas perſonas de eo acutiſſime diſputantes inducit , Sebaſtianum Delium , Marcum Antonium Flaminium , & Julium Camillum . Quid quiſque de illo ſenſerit , exponit ; varias de judicio ſententias affert ; judicium , prudentiam , & conſilium inter ſe affinia eſſe aſſerit ; judicium cæteris ingenii partibus longe præſtare ; ex perfecta rerum cognitione , atque earum ipſarum exercitatione naſci ; pro ipſa cognitione apud Græcos accipi poſſe videri , & quibus in rebus locum non habeat , oſtendit . Judicium tollentium rationes proponit , eaſdemque refellit ; a prudenti natura potius , quam ab ullo artificio , proficiſci demonſtrat ; judicium cui craſſum , aut parvum a natura datum ſit , nullo ſtudii , aut cognitionis præſidio adjuvari poſſe , confirmat ; judicium a naturæ , atque doctrinæ vi derivari docet ; denique ex quibus rebus judicium perfectum , & abſolutum conſtituatur , patefacit , nimirum ut eruditio per ſe multum judicium adjuvet ; natura nihil obſit ; utrumque autem ſimul conjunctum illud judicium efficiat , cui nihil deſideretur .*

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. Fra Paolo Tomaso Manuelli Inquisitor del S. Offizio di Venezia* nel Libro intitolato *Bartholomæi Riccii Opera omnia, quę extant* non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Gio. Manfrè Stampator di Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 18. Marzo 1748.

(Daniel Bragadin Cav. Proc. Rif.
(Barbon Morosini Cav. Proc. Rif.
(

Reg. in Libro a Carte 22. al Num. 172.

Michiel Angelo Marino Segretario.

Reg. al Mag. Ecc. contro la Bestemmia.

Francesco Gadaldini Segretario.

BARTHOLOMÆI RICCII
LUGIENSIS
PRO T. ANNIO MILONE IN M. BRUTI SENTENTIAM
ORATIO
AD ALOYSIUM ATESTIUM
Summum Ferrarienſis Eccleſiæ Antiſtitem.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aloyſio Ateſtio Cardinali S. D.

Ejus hortatu, atque adeo impulſu Orationem pro T. Annio Milone in M. Bruti ſententiam a ſe compoſitam fuiſſe oſtendit, ſe tamen totum Bruti ſententiæ non addixiſſe, aut ad ejus tantum rationem ſuam hanc defenſionem circumſcripſiſſe, ſed multa etiam de ſuo, quæ in Milonis defenſionem commode cadere videbantur, in eam haud fortaſſe inepte conjeciſſe.

CUm tibi eam Orationem, quam Cicero pro Milone habuit, ſuperioribus menſibus ad explicandum aggrederer, ſcio, te plane recordari, me multa in ejus, ut mos eſt, initio, quæ ad totius cauſſæ planiorem intelligentiam pertinerent, continuo commemoraſſe, in quibus neque id poſtremo eſt omiſſum; M. Brutum hanc quoque defenſionem, ſed in aliam tamen, atque Cicero fecit, ſenten-

tiam a se conscriptam edidisse, etsi eam nullam habuit omnino. Hic enim fortasse animi sui altitudinem secutus, Milonem cædem hanc fecisse, magis ut Reip. subveniret, quam ut saluti suæ prospiceret, defendi maluisse videtur: præsertim cum Clodium occidi maxime e Rep. esse, omnibus constaret. Quod cum audisses, tum, ut cætera soles, argute, ac familiariter: cur tu, Ricci, inquis, ut in Archiam contra Ciceronem, nunc pro Milone cum ipso Cicerone in hanc Bruti sententiam caussam istam non agis? Cur non vides, si divinare possis, quæ a Bruto in hanc defensionem induci potuissent, atque ea tuo stylo Orationi postea mandes? Tum ego, inquam, quid agis, Aloysi? ut ego Bruti sensa, atque consilia, quæ ne C. quidem Cæsar in suam salutem odorari potuit, perscrutari audeam, atque rem eam, quæ innumerabilia sæcula in hominum ignoratione involuta delituit, atque de qua nullum aliud vestigium extat, quam cum Bruto quibusdam placuisse, ita crimen hoc defendi posse, interfici Clodium pro Rep. fuisse, ego nunc investigem, atque ex suis densissimis tenebris in lucem eruam? Nimium tu mihi tribuis, nimisque grave onus imponis. Nam ista tua exhortatio tantum apud animum meum valet, quantum si aperte imperasses. Fac enim, ut in ea caussa (numquam enim quæ Brutus) ego tamen a me haud inepta, atque validissima videam multa; fac, quæ acute perspexero, ea postea apte, atque composita

posite constituam, præterea hæc eadem ut docendo probe explicem, dicendo magnifice exornem, amplificando, quantum fieri possit, extollam; summa vero dicendi vi, summoque artificio, quorum in me neutrum est, nisi exile, atque perpusillum, quo velim, Judices impellam, unde autem caussæ meæ conducat, etiam revocem, ut item in Clodium ejus cædis caussam, atque adeo in Remp. ipsam manifeste conferam, ut denique in Clodii morte Reip. salutem, atque omnium Civium tranquillitatem, atque securitatem, Deorum etiam reverentiam, cultum, atque eorum Templorum incolumitatem constitutam esse convincam; quid tandem adversario meo respondebo, cum objecerit, non fuisse privati Viri publicas injurias ulcisci: non licere Civem a Cive interfici, Remque publicam suos fasces, suas secures, suos Magistratus habere, quibus suos sontes suo supplicio afficiat? Totus ego in caussa hærebo, oratio, vox me deficiet, vincar. At alicunde, subdis, hoc quoque tibi succurret. Nihil enim tam abstrusum, tamque absconditum est ad inveniendum, quin, si diligenter quæratur, tandem etiam inveniatur. Modo industriam tuam adhibeas in inquirendo, nihil dubito, quin, quibus hoc quoque optime refellas, atque in ipsum adversarium rejicias, argumenta, atque majorum exempla facile reperias. Istud facile, inquam, ne mihi difficillimum sit, valde metuo. Sed cum ita velle te sentio, morem tibi geram; hac tamen

Lege, atque conditione, ut magis tibi hoc quoque modo imitandi formam aliquam demonstrem, quam ut Milonis caussæ me quicquam prodesse posse sperem. Quod ut mihi innuisti, ad reliquam Orationis interpretationem perrexi, qua postea tota feliciter absoluta, nihil antiquius habui, quam ut hanc statim aggrederer, quam, ut semel aggressus sum, non prius de manibus omisi, quam habui probe absolutam. Etsi in ea uni isti Bruti sententiæ me tamen non totum addixi, aut ad ejus tantum rationem meam hanc defensionem circumscripsi. Multa enim ex meo, quæ in Milonis defensionem commode cadere videbantur, in eam (quemadmodum videbis) haud fortasse inepte conjeci. Hanc tibi mitto, sed ea tamen conditione, quam tibi paulo supra dicebam, mitto, ut in ea potius cum summa benevolentia erga te mea meam in ea scriptione imitationem, quam ullam satis validam Milonis defensionem videas; in qua si quid tamen offenderis, quod pro eo haud imperite a nobis sit disputatum, id totum tuum accipies, cujus mandati fideli, atque assidua recordatione ita in eam curam incubuerim, ut præter hanc meam imitandi rationem, Milonianæ etiam defensionis aliquid attigisse, videri potuerim. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII

ORATIO

PRO T. ANNIO MILONE

in Marci Bruti sententiam.

QUod ego a Diis immortalibus, Judices, in omnibus meis caussis precatus sum, ut mihi aliquando, quæ illis maxime prodesse scirem, omnia tuto proferre, meis vero Judicibus, quæ in iis ipsis ex æquo, & jure sentirent, libere judicare liceret, utrumque mihi hodiernus dies attulit. Mortuo enim P. Clodio, qui una cum Civitate judicia oppressa tenebat, jam Patroni, quæ ad caussas suas pertinent, liberius tractare; Judices vero in iis judicandis nullo metu perterriti ad unam æquitatem sententias suas tuto dirigere possunt. Quin etiam hoc quoque judicio, in quo agitur de Clodii ipsius interitu, Senatus per Cn. Pompejum fortissimum, ac prudentissimum Virum optime providit, ne quid Resp. detrimenti caperet: cujus mandato Vir egregius has copias, quibus hunc locum septum esse videtis, comparavit; ut, si quid adhuc veteris metus in animis nostris ob diuturnam ejus consuetudinem resideret, id nobis prorsus evelleret; aut etiam ne, qui Clodii mortem inique tulissent, more suo, Clodianis reliquiis collectis, in hunc locum impetum facerent, vosque a recte judicando absterrerent; me vero, ne caussam hanc, ut digna est, planius perorarem, suis immanibus clamoribus impedirent. Quare, Judices, cum jam nobis integrum esse videamus, mihi in dicendo, quod caussæ meæ prodesse sciam, nihil omittere; vobis vero non ex ullius metu, sed ex rei æquitate judicare, ab hoc judicio, unde nobis hæc libertas incipit, nos quoque initium libere agendi sumamus, Milonemque ipsum, quem videmus eo vultu in hoc suo judicio adesse, quo erat, cum rem manibus fortiter gerebat, viriliter imitemur. In qua tamen caussa si quid cuique nostrum timendum est, id mihi soli est timendum; ne vi-

delicet, cum in tam nobili defenſione, in qua magis de Milonis virtute, quæ ampliſſima eſt, quam de abſolutione, dè qua nihil veremur, agendum eſt, multa dixero, multo plura tamen, atque ea nobiliſſima, præteriiſſe videar. Siquidem, ut Milonem optimum Civem, Clodium ſceleratiſſimum latronem nullis inſidiis interfeciſſe, ſed ut Virum fortem, ac magno animo decet, vobis [quod nullo negotio faciam] comprobaro, idque unius Reip. cauſſa feciſſe, vos eoſdem docuero, ſatis, ſuperque ad omnem ejus abſolutionem, perparum vero ad ampliſſima ejus in Rempub. merita, atque ad ſummam gloriam dixiſſe videbor. Sed is hoc loco mihi ignoſcet, cui, in quo poſſum, non ſum defuturus, reliquum ab omnibus ætatibus, a quibus hoc egregium facinus perpetuo celebrabitur, largius expectans. Tria ſunt, Judices, quibus adverſarii noſtri cauſſam hanc graviſſime urgent; Vis Legis; Senatus ſententia; Pompeji quæſtio: quæ omnia, cum ego, quod, quam facile faciam, ipſi videbitis, prorſus perfregero, ac cauſſam cædis honeſtiſſimam, cædem vero e Rep. fuiſſe oſtendero, brevi tum perorabo. Continuo igitur iſti ex Lege negant, ei vivere licere, qui ſe alteri vitam ademiſſe fateatur; quod minime ita eſſe, nos contra iſtos fateri cogemus. Duo ſunt, Judices, quibus omnis Lex conſtat; ſcriptum, & ſententia; quæ quoniam interdum aliquo modo inter ſe diſcrepare videntur, inde fit, ut, qui litigant, partim ſcriptum, partim ſententiam ſequantur; utri autem rectius, nihil attinet diſputare. Quis enim neſcit, latoris ſententiam Legis ſcripto [ne fiat, quod dicitur ſummum jus, ſumma injuria] ſi quid ambigui ineſſe videatur, ſemper eſſe anteferendam? ut in illa, quæ peregrinum Urbis mœnia aſcendere vetat, ſi vero aſcenderit, capite mulctetur. Nam ſi per difficillimum obſidionis tempus, cum ſcalas hoſtis mœnibus admoverit, murum conſcenderit, neque multum abfuerit, quin Urbs caperetur, tum peregrinus murum aſcenderit, hoſtem dejecerit, Urbem defendentem, num is ad ſcriptum Legis continuo capitis damnabitur? Tamne, inquam, Legis lator imprudens fuerit, qui ad ſcriptum ſuam æquiſſimam ſententiam referri velit? tamque impius, ut, qui Civitatem ſuam ſervarit, eum capitis damnet, utque illi ſua iniquitate vitam eripiat, qui Urbem ex hoſtium rapinis, atque incendiis e-

ripue-

ripuerit? Quid enim, quæso, is aliud ea Lege cavet, cum prohibet, ne peregrinus Urbis mœnia ascendat, nisi ne is hostili animo inde notare possit, qua in parte ea ascensu faciliora sint, quaque in Urbem liberior pateat ingressus? At hic multo melius illi, quam Lex ipsa, cavit, qui prope captam, atque hostili prædæ, atque incendiis expositam tutatus est; qui non mœnium faciliorem aditum quæsivit, sed fortissimum, ac prope victorem hostem de mœnibus, atque de vestris ædibus ipsis deturbavit; ut qui secus aut juris ignorantia Legem interpretetur, aut calumnia ejus scripto parendum esse contendat, imperite faciat, atque indigne contendat. Hujus Legis, Judices, istorum Lex, quam illi vitam eripere dicunt, quem eam alteri ademisse constet, quam simillima est. Nam si ad hujus quoque scriptum, quod isti sequuntur, res ipsa censeatur, non ad Legis sententiam rectius judicetur, continuo sequetur, ut quoquo modo quis alium occiderit, is item postea sit occidendus, ac quem etiam hostis invaserit, is aut ab eo, si se non defenderit, aut a Judicum sententiis, si eum se tuendo victor superarit, sit necandus. Quo nihil immanius, Judices, nihil horridius, nihilque, quod magis contra Leges ipsas esset, statui potuisset. Nam si Leges & primum repertæ, & deinceps per omnes ætates receptæ, atque perlatæ sunt ad hanc humanam societatem conservandam, quid per Deos immortales humano generi perniciosius? quid calamitosius? quid etiam sceleratius, quam ab iis ipsis Legibus homines iri proditum, si non solum a Legis sententia jure optimo non defenduntur, verum etiam ab ejus calumnia, ac falsa juris interpretatione opprimuntur? Huc accedit, Judices, quod hominem natura omnium animalium præstantissimum multo iis isti inferiorem faciunt. Nam cum natura ipsa æque omnibus datum sit, ut impune se, vitam, corpusque tueantur; uni homini hoc beneficium frustra datum esset, qui, si se defendens, alium interfecerit, tam esset mortis reus, quam si dedita opera, atque ex insidiis illum trucidasset; ut numquam, Judices, Legis scriptum, unde est hic error, attendi, sed in ejus sententiam interius penetrari, & quid, qui Legem tulit, non quid verba ipsa significare videntur, diligenter observari debeat. Nisi vero Scipio Nasica [ut nihil de iis, quæ in fabulis a pruden-

tiſſimis Viris ſcripta ſunt, quod etiam qui matrem occidiſſet, ut patrem ab ea necatum ulciſceretur, eum humana, atque divina ſententia eſſe abſolutum, atque a vera Hiſtoria, atque adeo a noſtra non diſcedam] niſi, inquam, Naſica inique abſolutus eſt, qui Titum Gracchum occidit: & Scipio Africanus cum interrogaretur, quid de Gracchi morte ſentiret, ſtulte reſpondit, jure ſibi cæſum videri: & L. Opimius, qui C. Gracchum; & Servilius Hala, qui Spurium Melium vel ſuſpicione tantum affectati Regni propter ingentem per ſummam annonam in populum largitionem factam interfecit; Horatius vero, qui leviſſima de cauſſa ſororem germanam occidit, quia in ſumma publica lætitia ſola Sponſum muliebriter lamentabatur, corruptis comitiis, liberatus eſt; qui omnes non ad Legis ſcriptum, ſed ad ejus latoris æquiſſimam ſententiam ſunt abſoluti. Quod judicii genus [ut ad rem redeam] in Milone quoque, Judices, ſervandum eſt, ut, qui cæſus ſit, animadvertatur, non autem, ut ad Legis ſcriptum de cæde conſtituatur; videlicet, ut qui alterum occiderit, is quoque continuo ad ea verba capitis damnetur; præſertim cum hic eum hominem occiderit, qui otium, ac omnem Civitatis tranquillitatem evertebat; qui quotidie novo ſcelere recens ſcelus [quid enim dicam vetus?] cumulare ſtudebat; qui in rapinis, qui in ſtupris, qui in cædibus, qui in incendiis, qui in vi bonis omnibus inferenda, qui in Deorum ipſorum cæremoniis, ac ſacris violandis multifariam verſabatur; qui denique omnia humana, divina ſuæ turpiſſimæ libidini ſubjecerat; quorum unum tantorum ſcelerum, Judices, expiandum ſatis eſſe poſſet ad omnem Milonis abſolutionem; omnia vero ſimul una ab eodem extincta ampliſſima etiam præmia expectare videntur. Sed hoc omne, Judices, ad Legis ſententiam; quod quam vere expoſitum ſit, atque a nobis manifeſte conſtet, omnes videtis. Quid vero ſi iſtis hanc quoque ſententiam condonem? atque cum eis in uno ſcripto hæream, cauſſamque meam eo quoque nihilominus defendam? Valeat, inquam, Judices, in Lege non ſententia, ſed ſcriptum. Equidem non video, quid iſtis amplius ab hoc opis, atque auxilii afferri poſſit, quam a ſententia factum eſſe ipſi vidiſtis. Nam ſi ad iſtorum quoque rationem, de quo conſtiterit, alium necaſſe, is quoque necandus ſit, non jampridem, Judices, Clodium ipſum centies in-

interfectum esse oportuit, quando eum ab ineunte adolescentia sua in hominibus interficiendis versatum esse constat? qui multos ferro, plures etiam veneno aut ipse necavit, aut suis necandos tradidit? nuper autem in via Appia Papirium equitem ornatissimum, multis videntibus, crudeliter interfecit? Quare si latrones, ac publicarum viarum obsessores nullo Legis periculo vel palam, vel ex insidiis interfici licet, quanto magis eos, qui in Civitate grassantur? qui fora obsident? qui loca sacra stuprant? qui Templa inflammant? qui bonorum cædibus, ac eorum sanguine insolentius exultant, quoquo modo, quaque ratione de medio tolli licebit? ut undique adversarii nostri convicti sint, P. Clodium æquissime cæsum esse, ut fateantur: primum, ut qui nefariam cædem multis intulerit; nunc vero, cum eamdem Miloni inferre conaretur, cæsus sit: deinde ut, qui post homines natos unus omnia in omne genus hominum, atque in Deos ipsos scelera exercuerit, ac Remp. quacunque immanitate vexare pro joco habuerit. Hactenus, Judices, me, quod ad Legem attinet, arbitror caussæ meæ satisfecisse, adversariis etiam super.

Jam vero ad alteram accusationem, quæ de Senatus judicio est, veniamus. Nunc isti, Judices, cædem Senatum judicasse contra Remp. factam esse, clamare non desinunt, atque in eo quasi vobis præjudicio magnam nostri condemnandi spem positam habent. Hanc quam frustra habeant, nunc probare aggrediar. Contra Remp. aliquid fieri, Judices, ego ita interpretor, cum aut contra ejus voluntatem, aut præter dignitatem, aut cum ejus aliquo damno fit. Quod autem ad voluntatem, hæc continuo nullam caussam habet, quamobrem Clodium mortuum nolit, omnia autem, cur optet: quando hæc majorem calamitatem a Pœnis omnibus, quam ab uno Clodio [ut, quæ ab eodem iniquissima passa est, omittam] expectare non poterat. Nam cum ii natura huic Imperio infensissimi hostes nascerentur, quasi jure optimo, utri regnarent, contendere. Quare etiam in Africa, in Hispania, in Italia res nostras sæpe afflixere. Hic vero hujus Reip. Civis, pro cujus libertate per omnes cruciatus mortem oppetere debebat, contra, hanc ut illi eriperet, per omne scelus maxime nitebatur; neque longe abesse poterat, quin eam omnem intervertisset. Huc accedit, quod Pœnus semper extra Urbem bellum gessit; hic vero in Urbe, atque adeo

eo

eo in privatis cujusque laribus tyrannidem exercebat. Quæ in Tribunatu suo iste flagitiose fecerit, ne expectate, Judices, dum dicam; facilius, quod non fecit, dicam. Id autem fuit, ut aliquid Præturæ suæ, quam & ipsam ingenti aliqua turpitudine nobilitaret, omnino relinqueret. Nihil dico de Consulatu. In Prætura enim opus suum absolvisset, ac in ea omnium etiam Consulatus sustulisset. Utrum vero, Judices, hujus monstri incolumitatem, atque suam perniciem hæc Resp. desideret? an potius tam atrociter ab eo affecta jam centum annos istum mortuum esse vota faciat? Neque enim hæc tam impia est, ac omnis sceleris affinis, aut Diis ipsis ita despecta, quæ nunc suum ipsa interitum desideret, quem suorum Civium corporibus sæpius devitavit. Neque vero multo imprudentior, ac furentior, quæ in re manifesta, quod in obscura acutissime, aut cum Pœnis, aut etiam secum discussit, in hac una Clodii vita occasum suum stare non perspiceret. Quæ vero dignitas in eo esse potuit, cui nihil turpe fuit; qui in omnibus flagitiis vitam omnem studiose traduxit; qui pluris Deos omnes, quam tres sorores, non fecit; qui denique turpiter agere cum summa virtute agere putavit? ut cum hujus morte omne scelus concidisse videatur, ac tantum absit, ut, contra dignitatem suam cædem hanc sibi evenisse, putet, ut nihil dignius unquam evenire posse arbitretur? nisi quis tamen dicat, in Clodii cæde exercitum Romanum a Jugurtha sub jugum missum esse: aut Senatum consilium cepisse de Urbe, atque omni Italia Pœnis deserenda, ac novas sedes sibi quærendas constituisse: aut turpissimum fœdus de pace cum Pyrrho ab eodem ictum esse. Jam vero quæ major utilitas Reip. afferri potuit, quam ut universa pacate, ac secure ageret? quam ut boni sua bona tuto possiderent? quam ut Judices, quæ æque sentirent, ea libere proferrent? Patroni, quæ plurimum caussis suis prodessent, in medium afferre non dubitarent? quam denique, ne quis esset, qui suis turpissimis moribus cæteros corrumperet? Quæ omnia, vivente Clodio, in Urbe dominabantur; eo vero mortuo; omnia sublata sunt. Ut nullo modo cædes hæc contra Remp. evenisse constet, nisi ea eversorem suum, sceleratissimum Parricidam, cum sua salute de medio sublatum esse, iniquo animo perfert. Atqui certe Senatus

tus

tus ita judicavit; neque is aut temere, aut animi ulla perturbatione judicare solet. Quid ergo is tum sensit? Ego dicam, & paucis dicam, Judices. Quia nimis sero Clodius interfectus est, id Senatus contra Remp. cædem factam esse judicavit. Jampridem enim tantum scelus, tantam pestem ex Urbe tolli maxime omnium bonorum interfuit. Quia vero cædes, Judices, impurissimi, ac flagitiosissimi latronis, atque Reip. eversoris tam sero facta est, id Senatus e Rep. non fuisse, existimavit. Id quod Senatus ipse alias etiam declaravit, cum Deorum cæremonias ab isto ipso violatas, istius ipsius supplicio expiandas esse decrevit. Et quod numquam a corruptis Judicibus impetrare potuit, nunc, cum ultro ei ab optimo, ac fortissimo Cive delatum est, factum improbabit, atque contra se factum esse judicabit? Quid vero, Judices, si omnes scimus, quoties in Senatu caussa hæc acta est, huic toties Senatum & sententiis, & studiis maxime favisse? cum in frequentissimo Senatu vix quatuor, ad summum quinque reperti sunt, qui eam non probarent? Quam Senatus æquissimam voluntatem iste Tribunus plebis in suis ad populum Concionibus in Ciceronis gratiam criminari non cessabat, invidiose clamans, Senatum, non quod sentiret, sed quod Cicero vellet, decernere. Et pergent isti nefarii sicarii, judiciorum corruptoris, sororum, ac Deorum constupratoris, sacrorum Templorum inflammatoris tam utilem, tamque honorificam cædem contra Remp. factam Senatum judicasse? quod, nisi impudentissimus, maximeque impius sit, facere non posset, cum omnes caussas habeat, quibus contra judicet, nullam, quod ita sentiat. Nisi tamen isti, Clodium eum esse, contendant, qui nobis cunctando restituit rem; aut qui prior Africam imperio nostro adjunxit; aut posterior, qui Carthaginem huic Urbi inimicissimam solo æquavit; aut denique unus ex eis, qui Regio dominatu Civitatem hanc liberavit, atque in pristinum statum vendicavit, quoque stante, Resp. floreret, eo vero cadente, tota & ipsa corrueret, atque funditus interiret. Cui prudentissimus, ac gratissimus Senatus, quando eum reducem in vitam facere nequiret, hanc ei tantam gratiam referre voluerit, qui non modo nullum horum vestigium institit, sed contra omnia, quæ illi sua virtute nobis amplissima peperere, eripere, atque per omnia scelera auferre conabatur.

Po-

Postremo, Judices, de Cn. Pompeji quæstione pauca [neque enim multis opus est] restat, ut dicamus. Multa quidem, Judices, in quæstione versantur, sed unum illud in primis, ut quis id, de quo agitur, fecerit, quæratur. Nam caussa, cur fecerit, tota ad defensionem pertinet, de qua nos mox abunde peragemus. Nunc vero quod ad factum. Nos quidem, Judices, ut sponte fecimus, sponte quoque fatemur, a nobis nullis insidiis, sed vi, atque virtute nostra P. Clodium seditiosum Civem, bonorum omnium pestem, Reip. calamitatem, tyrannidem palam, vi, atque armis, nulla liberalitate affectantem, occisum esse; ut quantum ad quæstionem ejus, qui fecerit, nostra confessione satisfactum sit. Sequitur, ut quam cædis hujusce caussam Milo afferat, quamque honestam afferat, attente [ut facitis] audiatis. Caussarum genera, Judices, multa esse non ignoratis, neque illud postremum omnium, cum caussam, quamobrem quid sit factum, vere in aliud quippiam rejicitur; cujus generis tota hæc nostra est. Nam cum hujus cædis duplex caussa sit; alteram in ipsum Clodium, alteram in Remp. conferimus; quarum utramque vos quoque spero, cum peroraro, mecum esse collaturos. Nam si a quo vitæ nostræ omnes insidiæ fiant, quique eam ferro, quoquo modo possit, appetere non cesset, nos contra, ut certissimo eo periculo illam explicemus, omnia Legis jura non solum ferunt, sed etiam jubent, recte Milo Clodium occidit. Quod autem Clodius nihil ex omnibus rebus tam optaret, quam ut hoc impedimentum, quod ex uno Milone illi afferebatur, ne universam Remp. nefarie libidini suæ subjiceret, sibi de medio auferret, jam sæpius ipse Clodius omnibus modis declaravit. Quis enim vestrum, Judices, atque adeo totius Civitatis ignorat, Clodium palam dictitasse, unum sibi Milonem ad omnem suam luxuriam explendam obstare, neque id tamen diutius fore? Proxime enim ante quam occideretur, multis audientibus dixit; Milonem triduum, aut quatriduum periturum. Id quod mihi [ut probem] non est longius abeundum. Adsunt enim mihi in hoc ipso judicio duo præclarissimi Viri, Q. Petilius, & M. Cato, qui id de M. Favonio honestissimo Viro, atque equite Romano audivisse fatentur. Quasi vero id cuique obscurum esse possit, ac etiam judiciis non omnibus comprobatum sit, istum

iſtum a Milone bis de vi reum factum, atque in judicium vocatum; qui ſemper tamen non ſua innocentia, ſed ſua potentia, ut de pollutis cæremoniis fecit, damnationem omnem effugit. Quare cum conſtet, Clodium Miloni omnes inſidias ſtruxiſſe, ut, quem virtute non poſſet, eum dolo, atque inſidiis interficeret, conſtat etiam cædis ſuæ cauſſam Clodium Miloni dediſſe neceſſariam, ſibique necem illam ex Milonis manibus vi accerſiviſſe, qui, quod ſemper a Clodio ſibi metuendum videbat, id ultro illi, ut ſe eo aliquando liberaret, inferre coactus eſt. Nam ſi ulla cauſſa eſt, Judices, quamobrem quis alium occidiſſe ſe tueatur, ea una omnium maxima, atque optima eſt, cum eum ſe occidiſſe dicit, qui ſibi necem eamdem manifeſto compararet; ut Milo in Clodii cæde fecit, qui cum vitæ ſuæ ſecuritatem ne a judiciis quidem impetrari poſſe videt, ſeque ab eo quoque præſidio, quod jure optimo, atque omnium gentium more atque inſtituto omnibus præſto eſſe ſolet, deſtitutum ſentit, ſibi ſe in tanto periculo non defuturum eſſe ſtatuit; atque quod a virtute ſua habere potuit, id aliunde quærere deſtitit, fecitque, quod quiſque veſtrum in tali caſu feciſſet, a Legibus ad arma, a judiciis ad ſuam virtutem confugit, eumque interfecit, a quo, niſi id feciſſet, ut ipſe interficeretur, neceſſe erat; ut ex Lege omni damnationis periculo Milo jam liberatus ſit, qui illum occidit, cujus inſidias tandem alio modo devitare non poſſet. At qui ſe tuendo Milo Clodium occidit, cum ad gloriam ſuam confiteatur, ſe illum adortum eſſe? Recte quidem, Judices; ſed in Milone id, quod in alio eſſet aggredi, magis eſt defendere. Nam cum Clodius in inſidiis Miloni collocandis aſſidue eſſet, neque punctum temporis ab hac cogitatione vacuum relinqueret, dieque noctuque unum hoc moliretur, Milonique diſtricto gladio ſemper immineret, huncque perpetuo urgeret, etſi poſtea Milo Clodium adortus eſt, magis tamen dici poteſt, quod ipſe ab eo invaſus ſit. Nam, qui hoc modo aggreditur, ſe magis defendit, quam inimicum adoritur. Niſi mavultis, ut Milo tum gladium ſaluti ſuæ diſtringat, cum aut dextera, aut etiam cervix illi exciſa ſit. Fingite vobis, Judices, Clodium, ex quo in Milonem inſano odio exarſit, in hunc aut ſicam directam ſemper tenuiſſe, aut in inſidiis multos collocatos habuiſſe,

se, qui Milonem interficerent; Milonem vero semper in se tegendo omnem operam posuisse: ut etiam tum, cum Clodium adoritur, dici possit, magis lacessenti respondisse, quam dormientem lacessivisse. Atque ita fit, ut cum Milo Clodium aggreditur, atque occidit, quod virtutis in aggressione fuit, id Miloni; quod vero caussæ, id Clodio attribuatur. Quemadmodum autem, Judices, caussam alteram in Remp. rejiciat, videndum restat. Hæc autem duplex est; una, unde Clodii odium, quo crudeliore Milonem persequi non poterat, exortum est; altera, quam illi Patriæ, ac bonorum omnium pietas afferebat. Ac quod ad primam. Quamdiu, Judices, Clodius Milonem sibi, quo minus Remp. ad suam effrænatam libidinem diripere posset, nihil obstare vidit, tamdiu nulla hunc injuria lacessivit, nullo damno affecit, ne verbo quidem ad ullam inimicitiæ suspicionem vocavit: ut vero hunc in uno Cicerone restituendo vobiscum, atque cum universo Senatu consentire, atque in id studii ardentius incumbere sensit, ita illi inimicus exortus est, atque eo in illum odio exarsit, ut nullum postea locum, nullum tempus, nullam occasionem omitteret, cum ad omnem hujus dignitatem infringendam, tum vitam etiam per omnes, si posset, insidias auferendam; idque neque obscure, neque dissimulate, sed palam, in foro, in Templis, in viis, atque in omnibus Urbis locis dictitare non dubitavit. Postremo vero cum iste Præturæ suæ petitionem, quam in alterum annum, ut integrum tempus haberet ad Remp. in ea dilacerandam, consulto distulerat, in Milonis Consulatum incidisse videt, neque, si is Consul fiat, se posse in Prætura sua, ut in Tribunatu fecerat, Pisone, & Gabinio Coss. suo arbitratu, nullis impedimentis adhibitis, Remp. diripere, atque discerpere, Miloni in ea petitione se opposuit, ejus competitoribus studium suum, vim, arma, castra, si opus sit, quotidie pollicens, atque omnem eorum Comitiorum rationem in se ipsum suscipiens, omnem ambitum sic obibat, ut quod precibus non obtineret, minis, ut assequeretur, conabatur. Ut continuo, Judices, initium hujusce cædis a Reip. caussa ortum esse videatis. Nam si Milo rem suam egisset, [non enim possum dicere propter ejus integritatem, si Clodii partes secutus esset; atque cum eo in Remp. conjurasset,] neque

vos

vos nunc eam hac tyrannide liberatam haberetis, & Milo ipse cum cæteris perpetuo hujus furori deserviisset. Quoniam vero Remp. tutatus est; quoniam cum bonis in ejus salutem conspiravit; in has teterrimas Clodii inimicitias incidit. Hactenus, Judices, de ea caussa, unde Clodii odium in Milonem, ex quo Clodii cædes postea secuta est, iniquius exarsit. Jam vero alteram, quæ a Reip. pietate, hoc est, a vestri omnium misericordia profecta est, videamus. Cum igitur Milo Clodium videret bonis omnibus bellum indixisse; iis prædia, his vitam etiam impune quotidie eripere; jura omnia humana, divina promiscue violare; judicia aut metu, aut pecunia corrumpere; Deorum cęremonias constuprare; religionem nullam habere; libidini suæ, hoc est, inexplebili luxurię omnia subjecisse, atque ad ejus levissimam titillationem omnes suas actiones expendere, itaque fœde, atque inquinate in ea versari, ut ne a tribus germanis sororibus abstineret; nihil nefas haberet; nihil mox [si quid tamen reliquum erat, quod hujus rabies cæteris concederet] fore, quod non invaderet, non raperet, non per vim auferret, neque quicquam tam immanitatis plenum a quovis tyranno metui posse, quod brevi ab isto Phalaride non expectaretur, omniaque in miseram servitutem propediem ventura perspiceret: hæc, inquam, & multa alia his etiam flagitiosiora, quæ nos quoque videbamus, quæque etiam libenter ulti essemus, si par animo facultas data esset, cum Milo videret, diutius ferenda esse non censuit, seque hujus nefariis progressionibus objicere, ut Remp. ex hujus monstri faucibus eriperet, non dubitavit. Quod optimum consilium scitis sæpe in Urbe frustra tentatum, cum iste optimus gladiator semper aut post suos in subsidiis se collocaret, aut etiam salutem pedibus quæreret; ut illo die, quo se in scalarum tenebris tutatus est. Tandem aliquando Reip. dies is illuxit, tandem, inquam, Reip. fortuna optatissimum hunc diem obtulit, cum istum ex Urbe extraxit. Quod Milo ut vidit, continuo, quot satis visi sunt, fortissimos Viros sibi delegit, partim etiam pretio conduxit; cum quibus isti magno, ut solebat, comitatu in Urbem redeunti postridie obviam occurrit; neque longe ab ejus Deæ Sacello, cujus cæremonias impune violarat, offendit; in quem viriliter impetu facto, cum, ut facere solebat, quo se recipere posset, non

non haberet, eum interfecit; quo perfecto in Urbem rediit; Diis Patriis gratias acturus, qui in sua Urbe defendenda, atque ab isto Annibale interficiendo sibi non defuissent. Ita res gesta est, Judices. Verum hæc, quæ ego vobiscum nunc egi, fingite vobis his verbis eadem Milonem ipsum ad populum agentem. Ego, Quirites, cum viderem, Clodium neque vitæ meæ appetendæ, neque Reip. evertendæ finem ullum facere, pergeretque in dies magis rabies illa cum ut meo, tum ut bonorum omnium sanguine se satiaret, neque ejus tantus furor aut Legibus, aut judiciis, aut ulla publica auctoritate comprimi, atque coerceri posset, publici viri personam cum mea privata conjunxi, quidque ab utraque in tali casu expectandum esset, ut probe animadverti, videlicet, ut pro alterius salute, pro alterius autem libertate nihil non audendum esse, ut neutri deessem, me comparo; consilium meum re comprobo; publicam istam pestem de medio aufero, meque omni periculo libero. Hæc, inquam, Judices, si Milo ad populum ageret, non eum creditis, continuo sublatis in Cœlum manibus, Diis omnibus omnes gratias acturum, quod in tanto discrimine Remp. nostram non deseruissent, ac eum in ea pugna occidi voluissent, qui si victor evasisset, nos postea omnes misere eramus occasuri; Milonem vero una omnium voce absoluturum? Quid vero si in medio illo sermone districtum gladium tenens hæc pauca etiam addidisset? Hic, hic gladius est, Quirites, non qui in Papirii ornatissimi Equitis vestri viscera in via Appia sæpius est crudeliter immissus; non is, cum quo Clodii servi in Castoris Templo missi ad Cn. Pompejum interficiendum deprehensi sunt; non qui in Ciceronem nullo alio scelere, nisi quia vobis hanc Remp. a sceleratissimis conjuratorum, & Clodii ipsius simillimorum incendiis conservavit, sæpius intentatus est; non qui totam Hetruriam; qui universam Italiam oppressam tenebat; non qui vestris omnium jugulis imminebat; non cujus metu a Civibus partim ingentes pecuniæ ereptæ, partim possessiones ademptæ, partim liberorum, atque uxorum pudicitia violata est; non, non, Quirites, furiosi sicarii, atque in cædibus faciendis latronis exercitatissimi gladius hic est, quem videtis, sed ejus Viri, qui hæc omnia Reip. vulnera, qui vestras omnium injurias optime ultus est: hic, hic, Quirites, gladius est, qui vos

in

in vestram pristinam libertatem restituit; qui denique Deorum immortalium cæremonias construpatas ejus ipsius, qui constuprarat, sanguine, quo etiam dum tinctum videtis, expiavit. Si hæc, inquam, Judices, Milo postremo ad Populum ageret, qui non continuo universus acclamaret? Macte virtute Vir, vive, vive, atque ita vive, ut eam Remp. quam nobis privatus conservasti, in summo Magistratu positus regas, atque administres: eumque omnibus Centuriis, vel una omnium voce Consulem, atque etiam solum Consulem crearet? Quod si Populus facturus esset, quid vos, Judices, non eum vos nunc liberabitis, quem suum Pop. Rom. liberatorem agnosceret? non eum vos absolvetis, quem Pop. Rom. non solum absolveret, sed etiam in summo Magistratu solum collocaret? Equidem non dubito, quin vos quoque cum Pop. Rom. de Milone, hoc est, de hujusce Reip. fortissimo liberatore optime, atque cum ejus summa dignitate judicetis; præsertim cum in hoc absolvendo Remp. ipsam magis absolvatis, cujus caussa evenit, ut Milo non tam sui defendendi, quam Reip. conservandæ caussa, P. Clodium occiderit. Hæc enim hunc in tantum odium Clodio induxerat, ut aut ei pereundum esset, aut, quod in Clodio fecit, faciendum fuerit. Milo, Judices, se quidem Clodium interfecisse fatetur; illum vero gladium, quo illum percussit, ex Reip. manibus accepisse, atque non tam in suam, quam in ejus defensionem illo usum esse, vos quoque fateri non dubitat. Ut Remp. caussam utramque Miloni occidendi Clodii dedisse, Milonem autem in illa defendenda se quoque tutatum esse constet: Neque illud quoque obscurum est, Judices, Clodium non tam Miloni in tanta contentione Consulatum eripere, quam Remp. diripere voluisse; neque tam ut illi hanc repulsæ notam inureret, ea omnia conatum esse, quam ut ita Remp. quam Tribunus plebis semiustam reliquerat, Prætor universam conflagraret, omni studio, omnibus viribus, omni scelere contendisse. Atque hæc omnia, atque his etiam magis nefaria, in Clodio fuisse, confitemur; neque hominem post homines natos ullum fuisse, qui majora monstra, quam Clodius fecerit, quique eo lætius exultarit, quo aliquid flagitiosius admisisset, non asseveranter affirmamus. At privati hominis non fuit, publicas injurias ulcisci, quando Resp. & suos Magistratus, suas se-

cures, suos fasces habet potentissimos, quibus tamen in Civium suorum vitam non abutitur, in quam ex Legibus nostris multo mitiorem pœnam constitutam esse omnes certo scimus. Hoc nunc agebam, Judices. Sciebam, hunc locum esse, ubi vobis objectionem hanc diluerem, atque hunc, qui solus scrupulus in caussa induci poterat, ex mentibus vestris prorsus auferrem. Privatum hominem publicas injurias ulcisci posse negant. Valde istos miror, Judices, qui, in qua hoc Civitate dicant, ignorent; neque a Patribus suis audierint aliquando, quanta cum omnium ordinum approbatione Nasica Vir privatus publicum Virum Gracchum vel mediocriter, præ ut iste faciebat, Remp. labefactantem interfecerit; de cujus morte [ut supra etiam dictum est] cum Scipio Africanus, qui ejus sororem uxorem habebat, interrogatus esset, quid sibi videretur, respondit, recte sibi cæsum videri. Similis ratio est Horatii Coclitis, qui privatus miles solus in ponte tuendo Patriam servavit, qui non publica auctoritate, sed privata, quamque illi Patria pietas ingenuerat, armatus Reip. incolumitatem cum sua summa gloria conservavit. Sed duo sunt, Judices, quæ homines ad se ipsos mutuo tuendos cogunt; alterum cognatio; alterum merita. In meritis ingenuus, ac liberalis animus spectatur, cum parem de se optime meritis gratiam refert. Quis enim ei opem non ferat, a quo eandem ante sibi allatam sciat? In cognatione vero etiamsi nulla intercesserint officia, etiamsi injuriæ intercedant, atque casus ferat, ut nostra ope nostri indigeant, continuo illis præsentis injuriæ obliti præsto adsumus, pro illis etiam sponte nostra omnia pericula subimus. Quæ vero omnibus cognationibus major cognatio cuiquam esse potest, quam qua quisque Patriæ conjunctus est? Aliæ enim, ut a parentibus discedunt, semper laxiores fiunt; hæc vero, quæ a Patria proficiscitur, atque unde omnes ortus suos habent, in paterna cognatione semper remanet. Quin hanc etiam tanto magis superat, quanto Patria parentibus ipsis anteferenda est. Et sane hac una arctissimæ propinquitatis vi summa ita quisque in Patriam suam affectus est, ut etsi ab ea exulet, atque injuria exulet, excepta una illa injuria, eam ante alias Urbes verbis extollat; &, si opus sit, id re, atque armis tueri non dubitet. Quod cum ita sit, quisque quoties,

ties, quo loco, quaque auctoritate præditus sit, Patriæ subvenire, nisi summa etiam cum laude potest. Quasi vero Clœliæ [quid enim majus dici potest?] factum non omnibus Historiis celebretur, ac perpetuo etiam celebrabitur, quæ etiam contra fidem publicam ab hoste ad suos Tiberim tranarit, fugiensque hostem fefellerit, ut suos, quo loco res hostium esset, admoneret; ut in Patria subvenienda nullum discrimen agnoscatur, an privatus, an publicus id faciat. At Leges, atque majorum instituta regendis Urbibus præclaros Viros præficiunt, qui suum cuique tribuant, ac, ne quid Resp. detrimenti capiat, probe videant. Horum fuerat publicas injurias ulcisci; de sceleratis Civibus supplicium sumere. Recte quidem, neque quicquam sanctius; sed non propterea tamen optimo Viro ademptum, quominus quoquo in statu sit constitutus, operam suam Reip. suæ optime ut navare possit; nisi item impie Curtius, qui in vastum terræ illum hiatum in equo se conjecit, ut Patriam suam reliquis sanam relinqueret. Ii quidem, Judices, Cives optimi sunt, qui jurati in Magistratu Rempublicam suam adjuvant; sed neque illi pessime tamen agunt, qui privati in summa occasione sua sponte illi ipsi non desunt; præsertim si ab iis, quibus ea commissa est, aut negligenter, aut timide, aut etiam corrupte geratur. Magna vis est, Judices, Patrii amoris, major etiam Deorum pietas, quorum injuriis, qui suapte natura non maxime moventur, qua re alia moveantur, non habent. Ego [ut de me nunc dicam] cum Clodio nullas inimicitias, quia neque ex mea bonorum exilitate quicquam fuit, quod meum appeteret, neque ex hac mea dicendi facultate, quod illum offenderet, accidit; quoties tamen hunc aliquid scelerate admisisse audiebam, toties eum animo, si minus ferro poteram, jugulabam, quia in quo cæteros violabat, una cum illis me quoque violari existimabam. Id quod vos quoque, Judices, cum bonis reliquis fecisse puto, qui, si pares animo vires habuissemus, & negotii conficiendi facultatem nacti fuissemus, omnes procul dubio in Patria pietate nostra sponte tot Milones extitissemus, neque aliud Senatus mandatum expectantes, rem ipsam, ut se primum occasio obtulisset, confecissemus. Solonem audio, Judices, [ut alienorum etiam exemplo factum nostrum comprobem,] non eo contentum, quod

fanctiffimis Legibus fuæ Reip. optime profpexit, in ejus beneficium etiam privatam ftultitiam fimulaffe. Nam, quod de Salamina infula recuperanda ad Senatum Lege referri non licebat, is ad populum, ut mente captus, palam id propofuit, a quo ad Senatum delatum eft; Senatus autem Legem illam abrogans in infulam recuperandam totus incubuit, cujus quoque paulo poft eft potitus. Ac, ut ad noftrum redeam, Dii facerent, Judices, ut tales privatos viros complures hæc noftra Refp. haberet. Non enim vos in judicando tot, ac tantis fceleribus occuparemini; neque in ipfis judiciis faciendis vobis cujufque potentiam, quominus, quid fentiretis, libere proferretis, tantopere pertimefcendum effet.

Quare, Judices, neque nobis quicquam Lex five ad latoris fententiam, five etiam ad fcriptum explicetur, obftare videtur, quominus hoc judicio liberemur; neque Senatus judicium cauffam noftram damnat, qui non folum contra Remp. non fecimus, fed, quod maxime e Rep. effet, effecimus; neque Pompeji quæftio quicquam adverfus nos conftituit, quod ipfi non fateamur, vobifque optime comprobemus; neque, quod a Milone privato Viro, nullo Senatu imperante, id Patriæ præftitum fit, quod ei faluberrimum fuit, quodque quifque Civis naturę impulfu præftare debet, impedimento eft, quominus is in ea Civitate retineatur, in qua ut cæteri boni tuto effe poffent, fua virtute, atque periculo perfecit. Quo uno æquiffimo veftro judicio ea quoque Reip. noftræ, Judices, non poftrema fequentur commoda; primum, quod potentiores in fua licentia abutenda, atque in injuria tenuioribus inferenda remiffiores, atque attentiores fient; nam cum intelligent, hoc quoque modo fe recte interfici poffe, nec cum aut ex corruptis, aut metu perculfis Judicibus effugerint, fe fatis tamen incolumes futuros, aliam vivendi rationem inftituent, quæ Civitati acceptior, bonis etiam utilior fit; deinde, quod fortiffimis Civibus, quoties aliquis ejus generis exurgat, qui Remp. vexet, qui bonis omnibus injurias omnes afferat, qui nihil neque turpe, neque nefas habeat, fi animum non addideritis, qui fua fponte pro Patria libertate omnia pericula adituri funt, certe ut officium fuum per veftras fententias Reip. gratum effe fenferint, neque fe a cæteris potentioribus opprimi, at-

atque ex Urbe exterminari vos esse permissuros, hos tum, scitote, nullum casum, nullum periculum, nullorum aut minas, aut potentiam declinaturos, quin Reip. fortissimam operam navent ejus otio, atque tranquillitati optime consulentes; postremo vero, hoc vestro sanctissimo judicio omnium judiciorum integritatem restituetis. Nam si vos factionis Clodianæ nullo metu perterriti ex vestris animis sententiam feretis, Milonemque in ea Urbe, quam a Clodiano dominatu liberavit, retinebitis, continuo cætera deinceps judicia vestram æquitatem sequentur, sorumque caussis vacuum reddetis. Malent enim, qui debebunt, creditoribus suis continuo dissolvere, cædis vero rei sua voluntate potius solum mutare, quam sua gratia, ac potentia freti judicium experiri velint.

Hactenus, Judices, arbitror, satis Milonem ab iis, quæ ab adversariis objiciebantur, defensum esse; neque quicquam obstare, quominus absolutus summa cum totius Civitatis lætitia domum a bonis omnibus comitatus quasi triumphans revertatur. Nunc pauca quædam, quæ etsi non prorsus cum caussa conjuncta sunt, operæ tamen pretium esse duxi, si ea brevi percurrerem. Majorum nostrorum, Judices, mos fuit, quem nos etiam servamus, quemque posteri perpetuo retinebunt, ut qui ex hoste victoriam aliquam domum reportasset, ei pro victoriæ ratione triumphus decerneretur. Hic postea in Urbem hostium spoliis ornatus gloriosissimo illo triumphali curru ingrediebatur, ac recta via in Capitolium ducebatur. Hinc Marii de Numidis, atque Cymbris; hinc Marcelli de Siculis; hinc Pauli Æmilii de Perseo; hinc Scipionum, ex Africa alterius devicta, alterius Carthagine solo æquata amplissimos triumphos majores nostri spectavere; hinc nos P. Syllæ ac Murænæ de Mithridate; hinc Cn. Pompeji de multis nationibus summa cum felicissimi hujus imperii cum privata, tum etiam publica lætitia admirati sumus. Et jure quidem optimo ii sua sunt gloria cohonestati, qui publicam gloriam sua virtute, suis consiliis, suis laboribus adauxere, forisque urbanum otium, ac tranquillitatem conservavere. Quod si cuique pro merito, proque devicti hostis ratione, pro amplissimis in se collatis muneribus hæc Respublica rependere solet, quid æque Milonis virtuti rependetur? quæ par gra-

tia referetur? qui bellum non longe ab Urbis mœnibus, non procul a vestris Laribus, non longius remotum a vestris liberis, atque uxoribus aut in Africa, aut in Hispania, aut in Asia vestra ingenti pecunia, atque cum magna militum amissione vobis confecit, sed qui, quem hostem intramuranum, atque adeo in domibus vestris habebatis, qui, quam tetram illam libidinem suam a suis inchoavit, in vestris liberis, in vestris uxoribus [ignoscite, Judices, si etiam quæ misera sunt auditu, vobiscum agere cogor] vobis etiam misere spectantibus, fœde, ac turpiter explere perrexisset, suis militibus, suis armis, suo ære, hoc est, sua virtute interfecit, extinxit, delevit? Certe, Judices, non huic satis est unus Consulatus, qui amplissimus gradus est in Civitate, sed gloriosissimus dandus est triumphus, atque cujusque generis statuæ sunt erigendæ, non autem ut ob tam præclarum facinus, atque ob tantum in Remp. meritum sua sponte collatum, in nullum judicii periculum vocaretur. Tametsi hoc quoque, Judices, is sibi magis ad sempiternam gloriam, quam ad ullam infamiæ suspicionem futurum arbitratur, cum vestris æquissimis, ac prudentissimis sententiis pietatem suam in Patriam comprobatam toti Orbi terrarum testabitur. Memoriæ item proditum est, Judices, majores nostros in summa pestilentiæ difficultate, cum morbus in dies magis in Urbem ingravesceret, atque serperet acrius, neque ullis humanis præsidiis averti posset, in Epidamnum misisse, qui Æsculapium Apollinis filium in Urbem adducerent; qui in Anguis forma ut ad nos advectus est, continuo pestis paulo se remisit, ac paulo post tota decessit, cui postea Angui Templum ingens ædificarunt, & cultum, & cæremonias suas attribuerunt, quem nunc quoque religiose colimus. Quæro ego de vobis, Judices, atque adeo de istis Civibus, qui huic judicio adsunt, quæ major pestis, qui tetrior morbus umquam Urbem invasit, atque Civitatem hanc occupavit, quam qui a P. Clodii sceleribus ingruebat? qui bonos Viros necabat, adolescentes ad perniciem corrumpebat, fœda oratione, fœdioribus factis omnia contaminabat, ac scelerate perdebat? Certe pestilentia, Judices, liberos a miserorum parentum, parentes ab infelicium liberorum conspectu miserabiliter aufert: verum Clodius multo crudelior, qui aut vos violabat, aut infeliciter perdebat. Hoc certe amplius

plius erat in Clodio, quod pestilentia saltem ab agris, possessionibus, ædibus, atque Deorum Templis abstinet; Clodii vero rabies omnia absumebat, nihil reliqui faciebat. Addite hoc etiam, Judices, quod pestilentia in plebe, atque abjectioribus plerumque hominibus vim suam exercere videtur; at Clodii furor tanto major ingruebat, quod in nobilioribus grassabatur, ut etiam, si Diis placet, Cn. Pompejus Vir omni Imperatoria laude cumulatus ædium parietibus, atque hominibus armatis ab hujus insultibus aliquot se dies tegere cogeretur. Ut qui tantum morbum a Civitate nostra avertisset, qui tantorum scelerum Urbem purgasset, qui omnium immunditiarum fœdissimam cloacam eduxisset, multo majori Templo, atque veneratione [quod cum Apollinis gratia dictum volo] diuturniori, quam Anguis ille Apollinaris, dignus esse videatur. Sed hic locus, Judices, hæc celeberrima Curia hujus Templum amplissimum erit; sacra vero, cæremoniæ, victimæ, honores reliqui illustrissima sententiarum vestrarum absolutio: cujus gloria non solum in hac Urbe ab omnibus celebrabitur, sed totum Orbem terrarum suo splendore illustrabit. Uni, Judices, obfuisse, in aliqua iniqui animi parte; pluribus, in multo iniquiori; omnibus, in iniquissima habendum esse videtur; ita uni profuisse, in aliqua parte bene grati animi; pluribus multo majori; universæ vero Reip. in maxima reponendum est. Quare Miloni, qui in majori necessitate Reip. præsto affuit, qui illam ex sceleratissimi, ac nefarii sicarii furoribus eripuit, qui ejus injurias illatas graviter ultus est, qui multo graviores inferendas repulit, atque extinxit, vobis, Judices, & pro universa Rep. & pro singulis etiam par gratia referenda est: quam tamen a vobis Milo non tam expectat, quam illum diem laudandi nullum finem facit, qui ei tantam hanc, tamque optimam occasionem, qua de Rep. nostra optime mereri posset, divinitus obtulit. Nasci, Judices, atque in has felicissimas auras, atque, quo fruimur, jucundissimum lumen edi, summa est felicitas, summaque voluptas, si ii tum simus, qui hæc sentire possimus; sed is tamen interdum est hominis ortus, qui cum morte ipsa terminatur; conservari vero Viros ex certissimis vitæ periculis, atque prope in vitam reduces fieri, ac in eam vitam, quam læte traduceremus, reduces fieri, omnes vo-

luptates, omnia gaudia, omnia hominum officia longissime superat. Quod si ita est, Judices, non quid vos de Milone judicetis, sed quid Resp. constituat, in quo illi grata sit, decernendum est, quando is hanc universam, nos omnes, liberos, uxores, fortunas, judicia, honestatem, Deorum denique religionem, ac cæremonias a perditissimi monstri libidine, atque immani rabie tam feliciter, tam præter omnium spem, atque quo tempore hæc omnia pejus affligi non possent, liberavit, atque conservavit. Quare, Judices, hic, hic est dies, quo Resp. ex P. Clodii faucibus erepta, vobis omnibus honoribus celebrandus, atque omnibus lætitiis transigendus est, ac quoties annus hunc sua conversione nobis attulerit, toties hac perillustri memoria accipiendus. Quoties quisque vestrum, Judices, ex eo jurejurando, quo in dicendis sententiis tenemini, quod senserit, libere judicabit, is toties eam religionem, atque judiciorum integritatem Milonis virtuti debere se fatebitur, qui judiciorum tyrannum interfecit. Siquidem, stante Clodio, omnia judicia corruebant; eo vero mortuo, illa sese erexere, atque in sua æquitate libere conquievere; ut vos quoque, quique vobiscum judicia exercent, Miloni separatim omnem vestrorum judiciorum religionem, quæ vobis charissima esse debet, acceptam referre debeatis. Scio equidem, Judices, post Clodii mortem boni omnes quoties domi liberos suos ab omni teterrima istius impurissimæ belluæ libidine, atque scelere liberatos intuebuntur; quoties uxores, nurusque ejus ipsius metus expertes videbunt; cum in Urbe summo hoc, quo faciunt, otio perfruentur, cum ex agris suis uberrimos fructus ad familiam alendam, ex amœnissimis villis ingentes voluptates ad animorum laxationem percipient, continuo omnibus succursurum, ea omnia per unius Milonis virtutem a Diis immortalibus sibi comparata esse, illique uni, post Deos ipsos, hæc eadem accepta esse referenda; neque umquam satis illum diem, illam dexteram, illam tanti animi præstantiam, quæ hæc in Remp. tanta munera contulit, laudandam, atque in Cœlum tollendam esse, censebunt. Urbis medius fidius, Judices, mœnia, quæ pestem hanc tot annos intra se continuerunt, ædes privatæ, quæ illum prætereuntem exhorrebant; sacræ, quæ aut ejus effrænata li-

bi-

bidine violabantur, aut etiam nefariis ignibus inflammabantur; Curia, quæ ab hoc vivo opprimebatur, cum mortui etiam cadavere tota concremata eſt, hujus mortis lætitia geſtire videntur. Neque Capitolium Arx hujuſce Urbis nobiliſſima ulla umquam ex ullo triumpho tanta voluptate perfuſa eſt, quanta nunc ex iſtius ſcelere, atque libidine Milonis inclyta virtute deleta, atque extincta triumphat; Magiſtratus denique, Præfecturas, Regna, quæ poſthac non venierint, ſed cuique pro dignitate diſtribuentur, uni Milonis animi altitudini attribuendum eſſe & omnes vident, & conjunctiſſime confitentur. Et huic homini, qui tantum populum conſervarit, qui tot, ac tanta ſcelera ultus ſit, non modo nullos honores impertietis, verum etiam de abſolutione dubitabitis? Id quod ſi Milo fateretur, ſua ipſius ſalute feciſſe, ac in ſe defendendo Clodium interfeciſſe, atque in ejus morte hæc tanta commoda Reſp. conſecuta eſſet, nonne ea gratiam aliquam illi haberet? Cum vero ſciat, a ſe omnem cædis cauſſam ortam eſſe, & Milo fateatur, ſe non ſolum Reip. cauſſa, ſed Remp. ipſam defendentem Clodium occidiſſe, is tantæ animi altitudinis nullum ab hac teſtimonium obtinebit? nullum tantæ virtutis inſigne auferet? ac ſolum gloria, ac eo nomine, quod in ore omnium gentium glorioſe verſatur, quod hujus præcipuum eſt, quodque eripi nullo pacto poteſt, celebrabitur?

Sed ſatis hactenus, Judices, de cauſſa, atque etiam quædam extra cauſſam. Nunc reſtat, ut paucis peroretur. Duo, Judices, in hac cauſſa [ut vidiſtis] tantum verſantur; Milonis perilluſtris gloria, Reip. cauſſa quam honeſtiſſima, pro quarum utriuſque dignitate ſi agatur, nihil eſt, quod, ut in cæteris defenſionibus, expectetis, ut quicquam a vobis demiſſius deprecemur. Nam quod ad Milonis ſummi animi altitudinem, atque perilluſtris gloriæ ſplendorem attinet, ea tota ſe contenta eſſe poteſt, ut quæ ſola una virtute nitatur, atque in ſplendide agendo conquieſcat. Verum huic quoque illud accedit, quod ut præſentes ſplendidiſſimum hoc factum admirantur, atque omnibus laudibus in Cœlum efferendi nullum finem faciunt, ſic reliquæ ætates non ſolum intuebuntur, atque omni memoria ſeptum cuſtodient, ſed etiam quoties acciderit, quoties Rebuspub. opus erit,

vi-

viriliter imitabuntur. A quorum rectissimis opinionibus nihil vos quoque, [quæ vestra est prudentia, & æquitas] discrepaturos ipse existimat, ac, quæ in cæteris defensionibus alii a vobis omnibus precibus, ac lachrymis exorare solent, ea vos vestra sponte libentissimis animis, concordissimis sententiis, se tacente, sibi delaturos esse confidit; neque id quod a vestris jugulis cruentissimam illam sicam eripuerit, qui furiam incendia in vestris bonis excitantem extinxerit, qui, quæ vestris familiis impendebant, atque jam aderant, stupra, violationes, dedecora, turpitudines, ea vobis etiam dormientibus non solum propulsavit, verum etiam delevit, atque sepelivit, non, inquam, propter hæc omnia hoc exilium a vobis deprecatur, etsi omnino in Patria, atque vobiscum, si ei liceat per suam virtutem vivere, malit; tamen quoniam intelligit omnem Orbem terrarum unam omnibus Urbem esse, neque virtuti ullos terræ terminos præscribi posse, quin ubique ea sit, ea sui sit semper similis; neque hanc locorum commutatione quicquam mutari, minus vobis, ac charissima Patria carere ei molestum erit. Id quidem gravissime feret, quod hæc Resp. hoc ipso facto male sit auditura, quæ eum Virum, a quo incolumitatem suam accepisse constat, ejecisse videatur, atque ex ea Urbe eum excludat, qui sua virtute, ut sui Cives in ea tuto habitare possent, sua sponte effecit. Quod tamen tantum abest, ut id passura sit, ut ejus cædis caussam omnem in se recipiens, vos omnes roget, ut ei ignoscatis, atque ex hoc vestro judicio quasi triumphantem ad suos lares emittatis, quam ego his vocibus apud vos pro eo agentem audire videor.

Equidem, æquissimi Judices, ipsa P. Clodium a me occisum esse fateor. Siquidem is vere aliquem occidisse dicitur, qui ejus mortis caussam dedit: sed non tam id fateor, quod omnes scitis, quam id etiam mea summa cum voluptate factum fateor, atque testor. Quot, ac quanta vulnera mihi Clodius die, noctuque domi, foris, in profanis, in sacris locis inflixerit, quis recensebit? Hic in Tribunatu suo ærarium exhausit, provincias vendidit, Regna ademit, eaque iterum suis Regibus redimenda concessit. Nulla ab hujus violentia tuta judicia; nulla libera Comitia; omnium sententiæ minis, metu, vi corruptæ. Quod soli virtuti committi deberet, hujus in-

so

ſolentia vitioſiſſimis, atque impuriſſimis, ſuique ſimilli- mis ſicariis committebatur. Deorum immortalium, quorum auxilio principatum inter omnes nationes obtinui, ſacra omnia, cæremonias ipſas, ſuis ſceleribus contaminare, atque incendiis inflammare, pro ludo habuit. Reliqua vos memoria repetite, qui omnia ejus ſcelera mecum ſæpius conqueſti eſtis. Certe ita me totam confecerat, ut jampridem eo ventum eſſet, ut, ubi novo vulneri novus locus eſſet, nullus daretur; ſed Diis, quorum gratia hoc meum imperium ſtat, gratias ago, quod aliquando tandem repertus eſt optimus Civis, qui me peſſimo parricida purgavit; qui meum, quem iſte mihi eripuerat, priſtinum ſtatum reddidit, atque in veterem libertatem vendicavit; qui denique hujus flagitiis turpiter deformatam totam renovavit, atque inſtauravit. Quare, ne ei ingrata videar, cui vix parem gratiam referre poſſem, hancque, quam poſſum, non omittam, id a vobis peto, ut, quoniam meo nomine in hoc judicium accitus eſt, meo etiam nomine omnibus ſententiis liberetis. Neque id vos quicquam moveat, Judices, quod Civis Civem, privatus privatum interfecerit, quando a privato bono Cive malum publicum interfectum fuiſſe alias ſæpius comprobaſtis; neque in Reip. ſuæ ſalute quiſque Civis privatus eſſe poteſt, uti malus numquam publicus eſſe debet. Neque item eſt Civem a Cive interfici, quando is, qui occiditur, tantum abeſt, ut Civis ſit, ut acerbior, atque crudelior hoſtis eſſe non poſſit. Si quid tamen eſt, Judices, quod in hoc judicio cuiquam veſtrum aliquem ſcrupulum faciat, quo quid de veſtra iſta æquiſſima abſolutione dubitetis, id mihi ut condonetis volo, atque, ſi per veſtram humanitatem mihi licet, rogo. Nam quicquid id eſt, id totum meum eſſe fateor. Clodius enim quicquid in Milonem odii contraxit, id mea culpa contractum eſſe omnibus conſtat, ut, ſi quid cuiquam in hoc judicio ignoſcendum ſit, id mihi ignoſci oporteat, unde omnis Clodii occidendi cauſſa exorta eſt; Miloni vero contra ſumma laus tribuenda, quod ſua ſponte bis in me gratiſſimus extitit; ſemel, cum in Cicerone parente cum cæteris bonis reſtituendo fortiter ſe geſſit; iterum, cum nunc multo fortius Clodii furores omnes repreſſit, ipſumque interfecit. Quare, Judices, quem ego hoc judicio libero, non arbitror vos da-

damnaturos ; & cui ego per vos gratiſſima eſſe cupio ; quin vos quoque , qui mecum veſtram libertatem , veſtras fortunas , veſtra judicia , Deorum immortalium religionem , ſacra , ædes , vos denique cum veſtris liberis , atque uxoribus illi debetis , duplicatam gratiam hac veſtra abſolutione referre velitis , ac eum vobiſcum retineatis , cujus illuſtri virtute factum eſſe nobis fatendum eſt , ut ego vobis , vos me contra ſecuriſſime frui poſſetis.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

IN ARCHIAM POETAM

O R A T I O

AD HIERONYMUM FALETIUM

Jurisconsultum, ac Principis Herculis Atestii a secretis integerrimum.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Hieronymo Faletio S. D.

Caussas affert, cur ei potissimum Orationem in Archiam Poetam a se conscriptam dicandam censuerit, comparationemque inter ipsum, & Archiam Poetam instituit.

Cum adolescens eram, Faleti, atque in scribendo stylum meum exercebam, solebam id varie facere; aut enim ex Hetruscis scriptis, quæ mihi magis probarentur, in Latinum transferebam; aut eorum persona suscepta, quibus Cicero scriberet, quasi ei, quæ mihi viderentur, respondebam; aut ad ejus ipsius imitationem mihi ipse aliquid effingebam; aut etiam in caussis eum defendens, quem ipse accusaret, aut contra accusans, quem ille defenderet, dictionem meam occupare solebam, ut in Archiam feci. Nam ut ejus Orationem, quam pro illo habuit,

buit, primum legi, cœpi mecum cogitare, quid Gracchus accuſator in eum dicere, aut contra tot præclaros Viros, qui illi præſto adeſſent, excogitare poſſet, quamobrem eum ex Civitate ejiceret; neque prius ab inquirendo deſtiti, quam accuſationem ſatis juſtam mihi confeci, quæ utinam ea eſſet, quæ firmioris accuſationis aliquid omnino haberet. Nam quoties eam cum Ciceronis defenſione confero; ſæpe enim utramque perlego; Cicero mihi videtur vere, ac facile defendere, me autem nihil aliud agere, quam fruſtra conari, ut aliquid mihi confingam. Hæc tamen cum tibi, Gyraldio, Azajolio, Sarachioque noſtro minime diſpliceat, mihi quoque non poteſt non placere. Quare ego hanc cum cæteris edendam ſtatui. Ac quoniam prope ſingulæ ſingulis inſcriptæ ſunt, hanc ut tibi potius, quam cuiquam amicorum, darem, Orationis ratio poſtulare videbatur. Poeta enim erat Archias egregius, neque tu in ea facultate in ultimo loco es reponendus. Ille Græcus ob ſuas ſingulares virtutes Civis Romanus factus eſt; tu item Ligur Ferrarienſi Civitate ob tuos optimos mores donatus es. Continuo ille, ut Romam venit, Mario, & Catulo Coſſ. mire placuit; tu, ut Ferrariam acceſſiſti, ita HERCULI, ac FRANCISCO Fratribus Principibus Ateſtiis probatus es, ut hic te primum a ſecretis deligeret, ille vero ab hoc in eundem locum te paulo poſt depoſceret. Archias nobilioribus familiis Romanis familiariter u-

te-

tebatur, tu Ferrarienses omnes ita familiaritate devinctas habes, ut domi multo rarius sis, quam ad amicos; ille denique versibus Historiam Romanam persecutus est; tu in ea jam multos libros de Cæsaris rebus pręclare gestis, præter eos octo, quibus Germanicum bellum Italico sermone vere, ac splendide prosequutus es, qui nunc sub prælis sunt, habes absolutos. In eo vero Archia ipse es felicior, quod nullus Gracchus est, certe nullus Riccius umquam erit, qui tibi Civitatem eripere studeat. Quibus omnibus, ut dicebam, rationibus ita tua hæc caussa esse videbatur, ut si hæc a me per imprudentiam aliis inscripta esset, tu eam jure tuo æquissimo a me in judicio repetere posses; id quod, ne eveniret, prudenter cavi. Nullum enim judicium expectans, eam tibi dicavi, tuamque totam esse volui. In qua si quid etiam erit, quod ab hac ratione sejunctum, nostręque adjunctum sit, id quoque parti tuæ adjunxeris, ut cum totam tuam habeas accusationem nostram, tum ut alii hanc quoque mei summi erga te amoris significatiouem testatam habeant. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

O R A T I O

IN ARCHIAM POETAM.

NOn ego ſum tam inhumanus, æquiſſimi Judices, neque adeo rerum ignarus, atque imperitus omnium, qui aut ab iis ſtudiis, quibus omnes ingenui homines maxime delectantur; ſic abhorream, ut, qui in illis excellant, egregiis Viris in judicio improbe negotium facessere cupiam; aut eos horum, qui adſunt, optimorum Virorum firmiſſimo patrocinio non maxime tectos, atque defenſos eſſe videam. Nam quid aliud vult iſte præſtantiſſimorum Civium Lucullorum, Catonum, Metellorum, Craſſorum, Druſorum, Octaviorum, Hortenſiorumque frequentiſſimus conſeſſus, niſi ut in hac accuſatione ſua præſentia, ſua gratia, ſua auctoritate Archiam reum meum ſublevent, extollant, atque defendant? Quæ ſuperiora cum minime improbem, poſteriora non planiſſime non videam, tanti tamen apud me eſt Patriæ charitas, quæ cujuſvis paternæ etiam pietati facile anteferatur, ut in quo eam violari, atque de jure ſuo quodammodo dejici ſentiam, ei non poſſim, quantum in me ſit, præſto non adeſſe, aut ſaltem deeſſe; quem nunc illa tamen ſi æquiſſimum, ac modeſtiſſimum defenſorem habebit, nihil mirari debebit. Sibi enim a me in hoc judicio factum eſſe ſatis arbitrabitur, ſi nihil cum hoc reo criminoſi agens, nihil novæ, ac falſæ calumniæ fingens, nullis etiam, ut in accuſationibus fieri ſolet, dicendi facibus exardeſcens, jus meum modeſtiſſime tuebor. Quis enim cum eo, cujus tota vita probetur, qui optimis ſtudiis præditus, qui denique in tanta gratia gratioſiſſimis Viris poſitus ſit, criminoſius agere poſſet? Equidem cum ab hoc uno judicio diſceſſero, tam arcte Virum hunc amplectar, quam etiam iſti præclariſſimi Viri amplexantur; qui neque propterea mihi infenſi eſſe debebunt, quod contra eorum defenſionem ve-

veniam. Quod enim illi hospiti, atque alieno dant, id mihi ut Patriæ dem, gravate ferre non debent. Non enim hunc in Judicium voco, sed Patriæ sanctissimas Leges requiro, Majorumque instituta defendo, quæ cum ille se servasse probabit, tam is mihi tum probabitur, quanti ab istis Viris nunc fit optimis. Hunc igitur, Judices, non ex Legibus, atque institutis nostris facere dico, qui se Civem Romanum profitetur, neque tamen quomodo in hanc Civitatem venerit, ullam tandem rationem profert, aut si quam profert omnino, eam talem esse, quæ nihil in caussa valere debet. Nam cum tribus modis in Civitatem nostram veniant alieni; uno, si in Urbe more, atque instituto suo Civitas detur; altero, si Fœderatorum lege aliqua, quibus adscriptus sit; tertio, si ab Imperatore in exercitu de Consilii sententia, & sua virtute aliqua præstanti quis Civis fiat; continuo duobus, primo, & postremo, hunc nullam Civitatem habere, nullum est dubium. Nihil enim a quo Prætore Romæ, aut a quo Imperatore in exercitu Civis factus sit, auditur. Reliquum est, ut se alicui populo Fœderato adscriptum fuisse dicat, id quod facit. Se enim ab Heracliensibus, qui Populo Romano fœdere æquissimo juncti sunt, in Civitatem ascitum esse tuetur; & cum iis se quoque Civem Romanum esse profitetur: quo uno præsidio cum eum spoliaro, atque nudaro, quod nullo negotio faciam, hic, ut omni caussa cadat, ac omnem Civitatem amittat, necesse est. Syllani, Judices, & Carbonis Lex est de Fœderatis, ut qui in eorum Civitatem, qui cum Populo Romano fœdere juncti sint, ascitus fuerit, is pari ratione cum iis in Civitatem Romanam veniat. Hac Lege Archias, ut qui ab Heracliensibus nobis Fœderatis Civitate donatus, se Civem quoque Romanum cum cæteris Heracliensibus factum tuetur; id quod si vere tueretur, ego numquam tam aut improbus, aut ab omni mente tam abalienatus esse possem, qui contra summam honestatem, atque adversus tot gratiosissimas Familias venirem. Sed quid, si illa ipsa Lege Syllania, & Carbonia ego jus meum firmius, quam ille suam Civitatem, defendam? Legis caput est, Judices, ut ea se tantum iis communicet, qui quo tempore ferebatur, domicilium in Italia haberet. Ecquid hoc est, optimi Viri, quod vos video ad hoc Legis caput non leviter commotos? Num fortasse ve-

ſtræ quaſi imprudentiæ ſuppudet, qui hæc ipſi non animadvertiſtis? atque ab adoleſcente admoniti eſtis? Atqui tantum abeſt, Judices, ut Archias ullum domicilium in Italia tempore Legis habuerit, ut puer admodum eſſet in Græcia, cum ea ferebatur. Siquidem in Italiam prætextatus venit, hoc eſt, decimum ſextum annum plus minus agens; cum Lex a Mario, & Catulo, quibus Coſſ. Romam venit, ſeptimo anno ante lata videatur, ut novem annis eſſe poſſet Archias, cum Lex ferretur, in qua ætatula magis domi in cunis cubare, quam in Italia vel pedem terræ habere potuit. Niſi ea quoque ætate cum Q. Metello Numidico, & Pio ejus filio familiariſſime vixiſſe, M. autem Æmilium docuiſſe, cæterum hunc nobiliſſimum gregem ſuis carminibus maximi oblectaſſe, probare audetis. Sed heus tu, Legem recita, ut, utrum ita ſit, planius intelligatur. *Si qui Fœderatis Civibus adſcripti fuiſſent. Si, cum Lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent. Si*, Lex inquit; attendite; *domicilium in Italia habuiſſent, cum Lex ferebatur*. Demonſtratum eſt, Judices, tantum abeſſe, ut Archias domum ullam haberet eo tempore in Italia, ut ne Italum quidem ullum cognoſceret, ut qui adhuc infans in Græcia, atque ſub nutrice aleretur. Niſi forte hi optimi Viri ſua illa celeberrima, atque vetuſtiſſima hoſpitia, quibus hunc tot annos libentiſſime acceperint, huic domicilii loco eſſe velint, quod etiam poſſum concedere. Si ante Legem latam iis uſus ſit Archias hoſpitibus; ſi poſtquam Lex condita eſt, non poſſum. Sed quoniam ego non longioris ſum memoriæ, quam adoleſcentia mea fert, proferte vos natu grandiores, ſi forte ſcitis, quo in loco, cum Lex ferebatur, in Italia iſte domicilium ullum habuerit, aut a Majoribus ſuis relictum, aut quod ſibi iſte ædificarit, aut alicunde comparatum, aut quoquo alio modo fieri poſſit; Archias tum Civis eſto. Sed quid ego tantum laboro in quærendo, quodnam domicilium habuerit in Italia, cum conſtet ne nunc quidem habere? neque quiſquam probet id eum abalienaſſe? qui apud hoſce familiariſſimos ſuos ſemper habitarit? Id quod cum vos quoque, Optimi Viri, plane eſſe ſciatis, cur mecum potius jus veſtræ Civitatis non tuemini? cur Græcus vobis potior eſt, quam Majorum veſtrorum inſtituta, jura, Leges? Cur [ignoſcite, præſtantiſſimi Viri] tam negli-

gligentes estis in vestræ Civitatis dignitate retinenda, atque etiam condonanda; qui eam concedatis etiam iis, qui sibi satis habere putant, si dicant, Civis sum? Cur non mecum, si vestra sponte id non fecistis, jus vestræ Civitatis perquiritis? Majorum vestrorum institutis non paretis? atque in hoc, quod in cæteris omnibus factitatum est, efficitis? Cur non magis jus dandæ Civitatis in vestra Urbe, quam Græculum sine illo in Civitate retinere studetis? qui nullum domicilium temporis Lege in Italia habuerit, Legis beneficio exclusus est, ei Lex nulla lata est, nihil opitulatur. Ut continuo Legis beneficio Civis hic nullus sit. Reliquum, quod Legi adjunctum est, quodque eam sequi debet, videamus. Mos est, Judices, ut qui quoquo modo in Civitatem nostram venit, is posteaquam in eam acceptus est, Tabulas conficiat, quibus non solum sibi, verum etiam posteris suis probe prospiciat. Si ego de te, Archia, quæram, ut, istas Tabulas proferas, quid respondebis? Nullas habere te, respondebis. Nullas enim adhuc protulisti. Tu continuo post Heracliensium adscriptionem de omnium more, atque consuetudine eorum Civitatis aditæ, Tabulas tuas non conficis. Ecquid hoc est ignaviæ, an imprudentiæ? Ita ne in tua, atque tuorum tanta dignitate tam socorde, tamque parum prudenter agis? Præterea vero cur a consuetudine, atque omnium instituto discedis? Num fortasse putasti, rem tantam vulgi opinione, atque hominum sermonibus tantum niti oportere? Non tu es, Archia, tam stultus, neque Civitas Romana tam vilis, tamque contempta. Nimis enim cuique promptum, atque expeditum esset in hanc Civitatem irrepere, si ad vulgi sermonem hæc constitueretur. Quis enim nesciret se apud aliquos Civem esse jactare? a quibus postea is sermo ad alios, atque inde [ut fit] ad alios cum emanasset, eo modo Civitatem sibi furatus esset? Alia ratio est, Archia, aliaque Reip. nostræ administratio. Mario, Judices, & Ciceroni, ut de recentioribus agam, Civitas data est. Non puto eos tam stultos, etsi uterque egregiis, atque illustribus in Remp. meritis eam quotidie comprobat, qui tanti hujusce muneris Tabulas non confecerint, quasque, si rogentur, proferre non possint. Idem existimo de cæteris omnibus, qui in hanc Civitatem venerunt, & recte quidem, &

prudenter. Nam de re minima, quam cum alio quis contrahat, continuo Tabulæ conficiuntur, eæque suis certissimis subscriptionibus signantur. Hujus vero Civitatis donatio, in qua omnis nostra nobilitas consistit, sine suis Tabulis constituetur, conficietur, transigetur? Quædam officia sunt, Judices, in quibus tantum nobis ipsis studemus; quædam etiam, in quibus nostris, atque adeo posteris rectius prospicimus. Ex postremis hoc quidem, quod de Civitate dicimus, minime postremum est. Magnæ quidem ei homini voluptati est, qui sua virtute nobilitatur, quique omnibus honoribus tollitur, atque afficitur; verum cum ea ipsa gloria ejus generis est, quæ cum posteris communicetur, ac quasi illis lumine suo longe præluceat, atque ad reliquam laudem patentiorem aditum aperiat, ea summa omnium voluptas, & gloria est. Quin tanta vis est Caritatis, tantaque conjunctionis pietas, ut multi Parentes optarint miseram vitam agere, modo posteros suos in aliquo dignitatis gradu relinquerent. Et hic ea non vidisset, quæ vel insanissimum hominem minime fugere possent? aut si vidisset, tam impius fuisset, qui per se ad suos posteros vestram Civitatem pervenire noluisset? Nulli homini, qui alicujus sit mentis, hoc umquam probabitur, mihi vero omnium minime. At factæ sunt Tabulæ; nihil in iis nobis defuimus; sed incendio, quod Heracleæ factum est, Italico bello perierunt. Audio enim istos ad parvam quamdam flammam, quæ a Tabulario illo longissime extincta est, esse confugituros. Quid si ego nego, Tabulas illas ullas incendio esse consumptas? Fac me aliquando paulo graviorem juris Patrii defensorem. Si ego, inquam, negem, ullas Tabulas eo incendio periisse, qui id ipse probabis? Quis eas Tabulas in eo Tabulario fuisse testabitur? Quis se eas vidisse dicet? Sed neque hoc facio, ne ab ea æquitate, quam tibi sum initio pollicitus, usquam discedam. Unum vero id non omitto, ut quæram, si publicæ Tabulæ incendio consumptæ sunt, quid tuæ privatæ? Num eæ quoque cum publicis sunt concrematæ? Num tuæ quoque in eo Tabulario adservabantur? Nam cum id moris sit, ut præter publicas Tabulas, privatæ etiam Tabulæ signentur, iis, qui jus Civitatis assequuntur, tuas proferas; publicas consumptas non requiro. Quod cum non facis, indigne facis, qui contra

jus,

jus, ac consuetudinem nostram in Civitatem irrepere conaris. Sed fac item, ut Tabulæ illæ, quas nullas fuisse constat, illa parva flamma, cujus ne fumo quidem Tabularium superlitum est, comburi potuerint, combustas esse, atque cum iis tuas etiam una simul privatas. Quid de professione dices? Num novum aliquod bellum dices, quo Roma conflagrarit? Eam quoque incendio periisse? Nam cum a confectis Tabulis LX. dies dentur, quibus profiteantur ad Prætorem, qui Civitate donati sunt, apud quem Prætorem ista professio facta sit, requiro. Prætores Deorum beneficio, Judices, jam multorum annorum vivunt; adsunt huic Judicio non pauci Prætorii Viri. Dicat is, apud quem professus sit. Audi quam cito. Apud Q. Metellum Virum optimum familiarissimum meum professus sum. Non quæro nunc Metelli integritatem, jus quæro, morem antiquum postulo, Civitatis rationem defendo. Profer diem istius professionis. Expecto. Quid stas? Proferas tandem diem istum. Nullo enim Tabularium nostrum incendio consumptum est. Ærarium adite, Judices, vel isti potius adeant, Codices omnes versent, omnia scripta investigent, si usquam istam professionem repererint, nihil caussæ dico, quin Civis sit Archias, vel etiam Consul. Si vero, quod facit, nullam profert, necesse est, ut mihi concedat, se peregrinum esse. Nolite, quæso, [sæpius enim mihi estis rogandi] Optimi Viri, hanc tam iniquam viam ad Civitatem vestram cæteris aperire. Probe enim scitis, quod aliorum exemplo fit, quasi jure æquissimo fieri; ne discedite a Majorum vestrorum sanctissimis Institutis; eorum consuetudinem, atque morem integerrime retinete, quique hanc Civitatem, hoc est, amplissimum vestrum munus appetunt, ea ratione appetant, qua cæteri ad hunc diem fecerunt. Jam vero, æquissimi Judices, qui in Civitate sunt, cum lustrum agitur, adsunt, profitentur, censentur. Jubete vos, quæso, ut iste vobis ostendat, quo lustro affuerit, apud quem Censorem professus sit, quando se Civem hac professione indicarit. Nam etsi censeri in lustro non est omnino Civem fieri, certe est aliquo modo se Civem esse significare; nihilo magis hanc professionem vobis profert, quam Civitatis aditæ tabulas supra fecit. Qui longissime gentium absunt, Archia, cum Civitas censetur, etiamsi maximis negotiis occupati,

omnem operam dant, ut domum accurrant, atque in primis censeantur. Germani enim negotiatoris esse videtur, sub lustrum censeri. Te vero, cum in Italia esses, tot lustris conditis, nullo tamen lustro censum esse, maximum signum est, tibi aut censum illum nihil opus fuisse, aut si fuit, omnino id te non curasse, contempsisse, sprevisse. Equidem, Judices, ut dicam, quod mihi videtur, gravius in Remp. nostram eum admittere existimo, qui nulla Lege, nulloque more Majorum, sed potentissimorum quorumdam Civium auctoritate privata in Civitatem nostram venire conetur, ejusque beneficio uti, ac se pro Cive haberi velit, quo Pyrrhus, quo Brennus, quo Annibal, cæterique infensissimi Imperii nostri hostes. Ii enim sua virtute, atque extra Urbem in nostrum Imperium arma gerebant; hi vero dolo, & fraude in Urbe nostra nostram summam dignitatem ad labefactandum, atque decipiendum adsunt. Gravior, gravior, Judices, morbus is est, qui jam in corpore grassatur, quam qui extrinsecus timetur. Hic, hic forti, ac prudenti medicina opus est. Ille antequam corpus invadat, multa comparari possunt; hic, cum invaserit, gravius curabitur; cui, Judices, vos soli optimi medici vestris sanctissimis sententiis, vestro isto æquissimo judicio, ac non jam armis, atque exercitu, aut vestræ, vestrorumque liberorum vitæ periculo prospicere potestis. Retinete igitur in dignitate sua Rempublicam vestram, atque in Republica vestra dignitatem suam. Fortasse hoc loco de me quæretis, Judices, quid illud sit, quod hic tot annos pro Cive habitus est? de more hæreditatem adivit? testamenta fecit? in ærarium, in beneficiis delatus est? Ego dicam, Judices, id, quod spero vos quoque comprobaturos. Cum hic adolescens satis bona indole, non pessimis versibus in Italiam venit, primum universam maritimam oram illam, quæ magna Græcia dicitur, quasi Patriam alteram amice peragravit, cui suæ genti sic cum sua lyra versiculos fundens placuit, ut nullum Oppidum, [omnia enim eo modo publice canens obivit] iste adiverit, a quo non amice acceptus, atque etiam donatus sit, quem omnes suum Civem etiam appellitabant, non quod ulla Civitate nova donatus esset, sed veteris ratione, qui omnes Græciam veterem communem Patriam haberent, inde a suis Græcis omnibus Civis est appellatus. Nam si [ut ipse

ja-

jactat] aut a Rheginis, aut a Locrensibus, aut a Neapolitanis, aut a Tarentinis, aut ab Heracliotibus in Civitatem acceptus fuisset, suæ cujusque Civitatis Tabulæ extarent, aut saltem harum aliquæ, quarum nihil aliud habet, quam quod de me audistis. Hæc ratio est tot hujus aliarum Civitatum. Nunc venio ad nostram. Romam hic tandem venit istis multiplicatis Civitatibus, ad Lucullum, quasi totius Græciæ portum, appulit. Civem profitetur. Lucullus magis sua humanitate hunc pro Cive tractat, quam quod quicquam aliud certo sciret de ejus Civitate. Neque enim Vir egregius, atque ad omnem splendorem natus de doctissimo adolescente, qui Heracliensis Civis factus sit, aut ejus Civitatis ut ullas Tabulas proferat, quærit, satis habet, si adolescentis ingenium in pangendis versibus admiretur, atque iis maxime oblectetur. Hoc modo a Lucullo pro Cive Archias habitus est. Lucullum secuti sunt Metelli, & pater, & filius, M. Æmilius, Q. Catulus & pater, & filius, Lucius Crassus, Drusi, Catones, Hortensii, qui omnes cum illo familiariter uterentur, ac pro Cive salutarent, numquam tamen quicquam amplius de ejus Civitate habuerunt, quam Lucullus. Qui error pervasit usque ad hoc tempus. Quod vero ad hæreditates aditas; ad facta testamenta; ad Reip. beneficia; quid tam mirum fuit, si una muliercula, quæ hunc sextula asperfit, decepta est, si tot nobilissimæ familiæ in ejus Civitate deceptæ sunt; aut si Reip. beneficia huic communicata sunt, cum ii, qui Remp. gubernant, eum pro Cive semper habuerint? Sed quoniam ego sentio, Judices, me in hac caussa gravissimum, atque eloquentissimum virum M. T. C. adversarium esse habiturum, qui, cum quod hoc adolescens usus est Magistro, tum quod ab isto ipso Consulatus sui res gestas Græcis versibus scribi maxime cupit, hanc defensionem omnino est suscepturus, brevi mihi visi estis commonendi, non quod de singulari vestra prudentia dubitem, sed ne caussæ meæ usquam defuisse videri possim, ut videatis, ne ab ejus artificio capiamini. Videor enim eum videre quicquid in dicendo aut ingenii, aut usus habet, id omne in hac caussa esse depromturum, ac quasi novum quoddam perorandi genus in judicium adducturum, videlicet, ut continuo vobis Poeticæ facultatis, atque adeo totius Historiæ laudes, atque virtutes sua

illa dicendi copia, atque amplificandi ubertate in Cœlum extollat. Quo in loco, Dii boni, ut totus exultabit? ut dominabitur? ut se in sua eloquentia admirabitur? ut totam caussam hac una parte se sustinere posse non dubitabit? Vobis ante oculos proponet quantas Rebuspublicis Scriptores utilitates afferre soleant: simul omnes omnium hominum, Gentium, populorum Historias dicendo vobis repræsentabit: demonstrabit quicquid homines habent ab usque Mundi origine, id uni Historiæ acceptum referre debere. Poeticæ facultati etiam numerorum suavitatem addet. Quos hic Orpheos, quos Linos, quos Ariones non commemorabit? Sylvas, montes, flumina, aves, horum cantus suavitate captas, quoquo pergerent, eos secutos esse affirmabit: quo in loco cum diutius habitarit, ac tandem ad hunc ipsum redierit, majus beneficium in Remp. nostram ab hoc uno proficisci posse, quam ab omnibus Cincinnatis, Agrippis, Marcellis, Fabiis, Scipionibus, quam denique ab ipso Urbis conditore Romulo non est profectum, vobis præstare audebit, cum illi tantum ea gesserint, quæ mox suapte natura essent interitura, illum vero Urbem quidem amplissimam, ac longissimos in annos duraturam, sed quæ tamen, ut res cæteræ, suum finem esset habitura, condidisse, hunc vero solum quasi suo spiritu hæc omnia non solum in vita, sed etiam in illustri vita retinere posse, vobis persuadere perget: nomenque vestrum, vestramque gloriam sua virtute latissimos terminos sibi constituisse non negabit, sed angustissimos eos esse præ iis, quos vobis nullos hujus Historia est impositura, constanter tuebitur. Postremo vos [ut rem propius agam] ad Majores vestros revocabit; continuoque Africanos, Brutos, Fulvios vobis proponet, qui usque eo divinis istis hominibus studuere, ut primus Ennium Poetam in suorum Scipionum sepulchro condi jusserit; alter Accii familiarissimi sui carminibus Templorum, ac monumentorum suorum aditus exornarit, atque depinxerit; tertius vero in Ennii honorem Ætolicas manubias non dubitarit magis Musis, quam Marti, consecrare. His suum Magnum etiam adjunget, qui Theophanem Mytilenæum scriptorem rerum suarum cum universi exercitus plausu Civitate donavit; neque nostris contentus, quantus in Homeri fabula insurget? vobis quasi bellum inter se gerere acerrimum septem Civitates,

ut

ut quæque eum in sua Civitate retineat, instituet. Quæ singula, ut sese res offeret, sua illa dicendi copia, suis illis optimis lateribus sic amplificabit, sic omnibus ornamentis, omnique dignitate illustrabit, ut si alii sitis, ne de manibus sententias vestras extorqueat, magnum sit periculum. Quare videte, Judices, ne decipiamini. Hæc enim omnia maxima, atque amplissima sunt ad Civitatem impetrandam, ad acceptam autem comprobandam nihil pertinere videntur. Sed hæc pauca tecum quoque agam, Cicero, peramice. Si ex eo, quod Archias aut ingenium tuum admodum acuerit, aut exercitationem tuam plurimum juverit, aut a quo tibi optimarum artium omnis disciplina profecta sit, caussam hanc susceperis, atque in hanc omnes nervos intenderis, nihil omiseris, omnemque tuam eloquentiam in hoc unum judicium contuleris, ac quicquid valeas in caussis agendis, quicquid artificii habeas in defendendo, id omne in Magistri tui caussa deprompseris, scito, ex isto tuo tanto, tamque grato officio magnam te ab omnibus laudem reportaturum. Æquissimum enim est, unde prope in hanc defendendi rationem veneris, pro eo, si quando opus est, ut totam eam effundas. Quin scelerate, atque impie fecisses, si istum nunc deseruisses, & cujus hortatu, ac pręceptis ad cæteros in suo statu retinendos, atque conservandos prope adductus fueris, hunc de sua dignitate dejici ingrate patereris. Verum si ea ratio in hanc caussam te magis inflammavit, quæ jam omnibus vulgata est, quæque in omnium ore versatur, te in hoc judicio omnia esse conaturum, nihil omissurum, vitam potius amissurum, quam ut te Patrono iste de Civitate dejiciatur, propterea quod, Consulatus tui res præclare gestæ ut ab isto scribantur, maxime omnium affectas, vereor, ne alio defendendo te ipsum nimiæ ambitionis accusare videaris. Ad quam istam tuam gloriam id satis, superque esse debuit, te scire in tuo Consulatu Patriæ nusquam defuisse, omnia vidisse, providisse, nullam tuam propriam salutem ejus saluti antepofuisse, quem ob conservatam Remp. Cives tui post felicissimam illam reductionem tuam, cum Italiæ humeris in Patriam revectus es, sua sponte, ac constantissime Parentem Patriæ appellassent. At posterorum memoriam huic accedere volui. At tuum istum Consulatum a Scriptorum omnium optimo L. Luccejo memoriæ mandari,

imo

imo vero etiam ab Attico tuo Græce ſcriptum eſſe, certo ſcitur: ut omittam, quæ tu, quoties tibi optime cadit, cum in tuis ſermonibus, tum etiam in tuis ſcriptis de illo agis, quorum uno vel facile contentus eſſe poteras, neque de eo tanta ambitione, tamque anxie laborare debebas, immo vero Archiam ipſum ad cæterorum illuſtrium Virorum laudes remittere, ac concedere par eſt. Adſunt enim Luculli, Metelli, Æmilii, Catuli, Craſſi, Octavii, Druſi, Catones; cæteraque horum Civium Romanorum manus nobiliſſima, qui & ipſi & multas, & præclaras res geſſerunt domi foriſque, quæ ſcriptis, ac monumentis ſunt mandandæ, quæ ſi tu hunc [ut facis] occupes, omnia obſcura, atque tacita poſteris relinquentur. At ne videar prudentiſſimum Patronum, æquiſſimum defenſorem, optimum Civem nimis acriter urgere, qui nullam inſtituti ſui rationem, nihil æquitatis adhibeat in hac defenſione, parumque ſe probatum Civem oſtendat, qui Patriæ dignitatem, quæ vel ſaluti propriæ anteponenda eſt, præ una ſua gloriola tam manifeſte contemnat, contra cujus ſanctiſſima Inſtituta nunc agat, idque tueatur, quod ſi obtineat, maxima ex parte ejus majeſtatem imminuerit, ut qui Civitatem quaſi vulgi rumoribus, nulla ratione, nulloque Majorum inſtituto jam cuivis recte datam defendat, ne, inquam, tantum Virum tam acriter urgeam, redeo ad cauſſam, ut tandem perorem. Videtis, Judices, ut ex omnibus noſtræ Civitatis adeundæ rationibus Archias ea excluſus ſit. Primum enim, quod domicilium in Italia habuerit ex Syllani, & Carbonis Lege, nihil conſtat. Deinde nullæ Heraclienſium Tabulæ, quibus iſte in earum Civitatem aſcitus ſit, vel ſemiuſtæ afferuntur. Tertio in loco nulla profeſſionis ſignificatio, nullum veſtigium. Poſtremo numquam ex ullo luſtro cognitus eſt Civis, numquam cenſus eſt. Hæc mihi, aut etiam horum aliquid, cum Archias comprobarit, cum produxerit, cum probe teſtatus erit, cum inanibus hominum rumoribus, ac etiam inveteratis vocibus diffidere, remque ſuis locupletiſſimis teſtibus agere cœperit, jus, morem, inſtitutum Majorum veſtrorum in adeunda Civitate ſervare ſe demonſtrabit, tum Civis mihi ſit, jure Civitatis fruatur, Prætor fiat, Conſul, Augur. Verum quando horum nihil præſtare poſſit, aut in ſua Civitate, quam natura illi dedit, ſeſe

con-

continebit; aut, si prorsus Romanam velit, eam petat, quam his gratiosissimis Viris suffragatoribus facile spero impetraturum. Dixi.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

DEPRECATIO

Pro Joanne Paulo Manfronio

APUD HERCULEM ATESTIUM

Ferrarienſium Principem.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Joanni Baptiſtæ Sarachio S. D.

Duas Orationes ſub ejus nomine editas mittit, oratque, ut parvam grati animi ſignificationem æqui, bonique faciat.

SCio, mi Sarachi, quantum ego tibi cum tuis ſummis erga me, tum etiam meos non minimis officiis debeam; neque ipſe contra ignoras, (etſi nullam admodum ſatis dignam gratiam tibi refero) quam ea mihi omnia grata accidant; id quod ut cæteris quoque aliquo modo teſtarer, hoc tempore hæc parva facultas mihi data eſt. Nam cum haſce duas Orationes meas edere ſtatuiſſem, ut ſub tuo nomine ederentur, volui. Levidenſe quidem, fateor, munuſculum, neque qualia ſunt in me tua ſumma, ac ſingularia officia; ſed is tamen, cui exigua ſupellex eſt, linteolo, vel craſſo filo animi ſui bene grati aliquam ſignificationem facere poteſt; cum amplior locus ad id cumulatius facien-

ciendum dabitur, eum multo avidius arripiam. Has interea habe, & lege, quæ ſi tuæ expecta-tioni minus reſpondebunt, mihi ſatis erit, me tibi in amore, quod optime facio, probe reſpondere. Vale. III. Cal. Apr. 1552.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

DEPRECATIO

Pro Joanne Paulo Manfronio.

Quidnam hoc mei fati esse dicam, Hercules Princeps, ut hisce quatuor mensibus duos reos, quique in te ipsum insidias struxisse accusarentur, apud te Judicem defenderim? Num ego fortasse is sum, qui tuos hostes salvos esse velim? te iri sublatum cupiam? Minime quidem, Princeps. Sed id feci primum, ut tecum justitiam tuam defenderem, cum ego innocentissimi Judæi caussam suscepi, tu eum absolvisti; nunc vero, ut clementiam tuam sequerer, si, quod fere omnes arbitrantur, Paulum Manfronium hominem nocentissimum absolveres. Possem id quoque, Princeps, dicere, meam ejusmodi esse naturam, ut pro rerum conditione facile commovear. Nam cum antea iste insolenter ageret, ei cum communi omnium, tum tua præcipue caussa gravissime infensus eram; nunc vero cum ex florentissima fortuna in miseram istam, atque incertam vitæ conditionem detrusus est, summa illum misericordia prosequor, graviterque ejus calamitate afficior. Sed mea hæc natura me fortasse ad aliis de meo concedendum aliquid adjuverit; nunc autem abs te ad impetrandum, tuæ totum erit clementiæ, qua ego una fretus, nulla alia re præterea, caussam hanc suscepi perorandam. Paulum Manfronium habes, Hercules Princeps, reum de veneno Tibi [quid enim dicam sorori Tuæ?] misso: item de cæde multis in locis tibi eidem constituta, sua sponte, nullis adhibitis tormentis, confitentem: quorum alterum scelus vel in quemvis privatum hominem admissum, istum capitis prorsus condemnat: utrumque autem, atque in Te tantum, tamque Æquum Principem nullo genere mortis, nullo novo cruciatu, non si Reus in culeum insuatur, non si æneo tauro leviter succensis ignibus torreatur, satis pœnæ dedisse videri potest. Nam cum duobus modis omnino infe-

fe-

ferantur injuriæ, uno vi, fraude altero: posterior multo flagitiosior est, majorique dignus odio, ac vindicta; sed quanto vi tetrior est dolus, tanto omnibus fraudibus est venenum sceleratius. Nam cæteræ omnes insidiæ aliquam defensionem habere possunt: ut si quis quem nudum armatus; si multi solum; si loco iniquiore adoriantur; ejus tamen virtus, aut hujus timiditas, certe casus semper oppresso aliquid opis afferre potest; in veneno autem dato nulla vis, nullum præsidium, nulla defensio, nullus casus opitulatur. Ut enim id in venas hominis semel pervenerit, is pro necato habendus est. Quare quanto venenum omnibus insidiis crudelius, atque minus paratum ad defendendum, ita iste veneficus omnibus insidiatoribus majori supplicio excruciandus est. Venenum sequitur cædes non semel tibi constituta, quæ neque sua & ipsa multiplici fraude caret. Nam cum iste se tibi viribus imparem esse sciret, ut dolo superior esset, vafre, ac malitiose studebat; sed cum ejus insidias, atque consilia ad insidias pertinentia considero, nisi caussæ magnitudo id prohibeat, in qua vita, & mors agitur, risum vix continere possem. Insidiæ tamen factæ sunt, arma comparata, locus constitutus, ad eum aditum est; quod perinde est, atque etiam si cædes facta esset; quando in cædis accusatione non solum, si cædes facta sit, sed etiam qui sicarii animus fuerit, judicatur, ut cum hoc iste utroque modo te interficere quæsiverit, æque id sit, atque si interfecisset. Ut undique reum habeas non solum capitis damnatum, sed, si multorum etiam sit capitum, omnium dignus, qui condemnaretur. Quo igitur ego me convertam? qua ego utar defensione? cujus opem implorabo? cum ipse etiam mihi adversarius sim æquissimus? cum recte reum meum damnatum esse ipse quoque confitear, cum nihil a me, a te omnia esse videam, ac tester? Num quod cæteri Oratores in tali re facere solent, ad generis nobilitatem; ad Majorum merita; ad hujus ipsius adolescentis spem ullam, ut melius fore confidamus, confugiam? Neque horum, Princeps, quicquam satis commode facere possum. Nam generis amplitudo ei præsto adesse solet, qui de dignitate, quique de loco cum minus nobili contendat, non autem ei, qui se sua turpitudine coinquinarit, suisque maleficiis de se pessime meritus sit, ulli præsidio esse debet. Quæ vero Majorum,

aut

aut hujus iſtius merita objiciam, nulla habeo in præſentia, nec, quæ ſperem poſthac, ſatis video. Una, una mihi tua reliqua eſt, Princeps, clementia, quam etiam mihi ab initio propoſui, cui uni confidam, in qua una ſpem meam omnem habeam collocatam, quæ mihi ſola ſit pro omni iſtius Majorum nobilitate, atque pro iis meritis, quibus majus etiam ſcelus condonari poſſit. Ad eam igitur confugio; ad ejus me pedes totum projicio; non ſolum cauſſam meam illi, ſed ſe ipſam ſibi magnopere commendans. Nam aut ea hodie, Hercules Princeps, quanta ſit, declarabis, aut numquam alias. Tua mehercule, Hercules, prudentia jampridem omnibus Gentibus in omnibus ſive publicis, ſive privatis rebus maxime perſpecta eſt. Juſtitia etiam proxime in Iſaaco Abravanellio eſt percognita. Temperantia certe ea eſt, quæ te totam ætatem optime conſervat valentem: quæ virtutes etiamſi in quoque homine ſunt maxime laudandæ, procul dubio in Principe nullo fine ſunt extollendæ, quippe qui contra quam eæ jubeant, impune admittere poteſt. Sed ſi in una tamen fortitudine cæteris virtutibus reſpondebis, hoc eſt, ſi vindictam iſtam tuam æquiſſimam Deo condonabis, ſi tantam, tamque juſtam iracundiam continebis, crede mihi, te multo plus gloriæ, multoque ampliorem commendationem ab hac una eſſe conſecuturum, quam a cæteris omnibus virtutibus ſimul una conjunctis umquam es facturus. In cognoſcendo enim quid æquum, quid non, multos pares habere potes; in ſuo autem cuique dando, præmiis bonos, pœna ſontes afficiendo, etiam mediocres viros; cum neque pauci ii ſint, qui ab alienis ſe abſtineant, in ſuis autem modeſte contineant; qui item alios vi, ac virtute ſuperent, innumerabiles reperiuntur; quin etiam pauci ii non ſunt, qui Urbem ſoli conſervarint, qui hoſtes in fugam conjecerint, qui victoriam recuperarint. Qui vero ſe ſuperarit, qui iracundiam ſuam compeſcuerit, qui vim dolori ſuo fecerit, qui nulla vi de conſtantia, atque de virtute ſua dejectus ſit, commemoratis præſertim maximis, atque recentiſſimis injuriis, omnes hactenus in uno C. Cæſare numerantur; huic te poſthac, ſi crudeliſſimo inimico ignoſces, perpetuo omnes Hiſtoriæ conjungent. Tametſi [vide quid dicam?] multo iſta tua animi clementia, quam Cæſaris, futura eſt major. Is enim eis ignovit, qui cauſſam afferre

ferre

ferre poterant vel æquiſſimam ; qui pro ſalute ſua ; qui pro libertate publica in eum arma illa ſumpſiſſent ; deinde vero qui abſentes erant , qui penes ſe & vitæ , & necis poteſtatem habebant ; qui una ſaltem ſua morte ejus mortem poterant devitare; qui denique propinquos, qui amicos , qui eloquentiſſimos Viros , atque apud ipſum Cæſarem gratioſiſſimos habuerunt, quorum gratia, & precibus , & lacrymis Cæſar commotus iis vitam, ac Patriam condonavit. Tu vero, Hercules, ei ignoſces, qui tantum abeſt, ut ullam cauſſam haberet, quamobrem quicquam in te moliretur, ut, ſi caſus tuliſſet, vitam tuam vitæ ſuæ anteferre deberet; deinde eum, qui in tua manu eſt; qui hac ipſa in arce cuſtoditur; qui cervicem ſecuri tuæ ſubjectam habet, conſervabis. Poſtremo cui nulli adſunt advocati, nulli patroni, propinquus unus, ad ſummum duo , iique ita exterriti , itaque animo tanto ſcelere verecunde affecti, ut ne oculos quidem humo tollere audeant. Nam ſi ego eloquentiſſimus ſim, qui prope infantiſſimus ſum ; tanta tamen cauſſæ turpitudo eſt, tam flagitioſa, tamque omni dedecore plena, ut omnem eloquentiam facile ſuperare poſſit. Duæ, Hercules Princeps, abſunt , quarum res agitur maxima , nobiliſſimæ fœminæ. Altera hujus uxor Lucretia; Angela hujus ipſius ſoror altera; quæ, ſi adeſſent, non te parum lacrymis ſuis commoverent . Finge enim tibi uxorem ad pedes iſtos clementiſſimos jacentem , genua circumplexam , illos lacrymis rigantem, his oſcula defigentem creberrima , fletu , ſingultu miſeriam teſtantem ſuam ; quæ his etiam verbis [ſi dolor ei tamen vocem concederet] tecum miſerabiliter agat . Ignoſce , ignoſce, Princeps clementiſſime . Maritus meus mortis reus eſt , fateor ; tu tamen clementiſſimus ſemper extitiſti . Virum meum in te impie cogitaſſe, venenum, atque arma comparaſſe non nego . Tu tamen tua clementia omnia arma , omniaque venena facile ſuperas, ac vincis; Tu omnium, qui ſunt, qui fuerunt , qui futuri ſunt , Princeps clementiſſime, aut Virum meum mihi redde, aut me unam cum eo tolle. Nam quæ mihi illum hora eripiet , eadem me huic luci ablatura eſt . Hæc , atque multo plura his ſimilia dum ageret, quæ ſuſpiria ? quos gemitus ? quos ejulatus interponeret ? quoties in medio ſermone deficeret? ſemianimis concideret ? frigidam ipſe afferri juberes ? Cum

autem ad se rediisset, si te item per tuos liberos rogaret, obsecraret, obtestaretur, ut suis misereris, atque una simul suos misera ostentaret? illi parentem, illa Virum suum, Te voce, lacrymis, singultibus orarent, reposcerent, efflagitarent? neque id postremo omitteret, quin uterum tibi ostenderet? En, inquiens, Princeps, aliud pignus vix inchoatum: ne, Princeps clementissime, hoc parente, antequam eum habeat, orba, neve priusquam in hanc lucem edatur, ex hac luce Pater ei auferatur. Quid vero si eodem tempore lacrymis ab hujus sorore oppugnareris? Nam dum Uxor precibus a te Virum suum contenderet, Soror fletu fratrem tibi exposcere non cessaret; quæ & ipsa his tandem verbis pietati fraternæ obsequi posset. Miseram me, Princeps, quid ego nunc agam in tanto Fratris periculo? Si eum desero, impia sum; si Te ejus salutem oro, caussam nullam habeo, quamobrem eam impetrem; quin si tua clementia eam mihi concedat, in certissimum periculum pudicitiam meam adducere videor. Nullo enim argumento Fratri meo, atque adeo cæteris hominibus, quod de me falso suspicati sunt, quam facto isto tuo clementissimo magis comprobari, atque confirmari poterit. Sed pietas nunc vincat; victa jaceat hominum suspicio; satis mihi sit innocentiæ meæ me consciam esse. Adeo Te, Princeps honestissime, Te igitur, clementissime Princeps, oro, ut fratrem mihi condones, ne familiæ nostrę cujusvis ignominiæ insolenti tantam notam inuri permittas. Scelerate in Te fratrem meum admisisse constat, neque quicquam ego eum excuso, etsi quod in hujus scelere gravissimum est, totum id alienum; quicquid levissimum, totum id mei Fratris esse videtur. Ut enim inconsulte is agat, & facile imprudentes audiat; ut præceps sępius feratur, plane omnes novimus. Sed sint ejus omnia hæc, ac multo etiam graviora scelera, numquam tot, ac tanta esse poterunt, quin iis major Tua sit clementia. Vince, vince Te hodie, Hercules, qui monstra omnia semper vincis; in Te uno virtutem tuam hodie declara, quam in aliis quotidie ostendis. Sed quid ego, Te vincas, dico? qui nulla iracundia, nulla crudelitate, nullo vindictę desiderio laboras? Justitiæ tuæ nunc in Te ipsum tantum obliviscere. Nam quod ad Te solum spectat, si non severe egeris, nulli Tibi vitio attribuetur, nullum factum

factum damnabit, nullam provocationem objiciet. In Te scelus commissum est. Tuum est id tam ignoscere, quam etiam vindicare. Sed Tuum tamen est magis, clementissime Princeps, ignoscere, quam vindicare. Sin magis tamen, Princeps optime, meritissimas pœnas de nobis sumere libeat, si magis jus ipsum sequaris, eas de me Tibi sumere libeat, id in me exerceas, æquius est. Siquidem omnes Leges jubent, ut cujus caussa delictum factum sit, is pęnas det, ac de eo supplicium sumatur. Me, me tollas, æquissime Princeps, cujus caussa in hæc scelera de veneno, de cæde, quamquam is quidem falso impulsus est; a me, inquam, meritissimas hasce pœnas sume. Me, me sontem tollas, Fratri misero, atque innocenti ignosce. Mihi, mihi securim illam impinge, atque in hanc cervicem illam cadere jube. Quod si a Te non obtineo, a me id certe impetrabo, quæ continuo Fratrem sequar, ac quam ei lucem eripuero, eam ipsam cum eo volens, ac libens relinquam. Hęc si tecum agerent, Princeps, duæ honestissimæ Fęminæ, qui earum fletus? qui preces? qui deprecationes omnes ferre posses? qui non pie in eas commovereris? qui non centum etiam multo sceleratiores Fratres, Virosque eis concederes? Quin etiam si quis nunc earum status sit, in mentem tibi veniat, ac Uxorem cum suis filiis infelicissimi mariti casum, calamitatem suam, filiorum orbitatem querentem, Sororem autem usque eo dolore insanientem, ut se accuset, quod venenum a Fratre sibi missum potius non hauserit, [est enim Soror, Princeps] quam in hanc miseriam incideret: utramque autem tristem hunc nuncium, funestamque hanc securim misere expectantem, Tibi in animo proponeres, clementius etiam commovereris, ac absentum etiam sola ista cogitatione non parum misereris? Quæ omnia tua tibi felicitas ademit. Nam ne hæ adessent, crudele hoc spectaculum, hujus scelera, nulla impetrandi spes effecerunt: ne tu absentes recordareris, tua animi altitudo, quæ suapte virtute regitur, prohibuit: idque eo factum est, ne aliquem tuæ tantæ gloriæ participem haberes, ne in istam tuam misericordiam sese quicquam insinuaret. Quare, Princeps amplissime, cum tua tota sit hæc gloria, cum nihil ex ea cuiquam debeas; siquidem nihil ii, qui adsunt hujus propinqui, nihil absentes, nihil amici, nihil patroni de ea tibi decerpunt;

præsentes enim nihil fari audent; qui absunt, satis habent, si a dolore suo lacrymas exorent; amici, patroni, muti obstupescunt; cum totum hoc, inquam, judicium tibi integrum sit, nullum socium habeas in tanta laude, ne tantam tantæ gloriæ occasionem omitte, Princeps, quæ, inquam, Princeps, immortalitatis occasio Tibi ad sempiternam gloriam desideranda esset, eam Tibi a Diis immortalibus oblatam arripe, ut Te vivum in eorum gregem asciscas. Ignosce, ignosce, Princeps clementissime; in hoc judicio, quod totum tuum est, sempiternam gloriam tibi compara; tuis, atque etiam alienis viam ad misericordiam aperi. Deum Optimum Maximum, unde omnis Regia est potestas, ut in recte judicando semper fecisti, sic nunc in clementer ignoscendo imitare. Redde, redde, Princeps benignissime, Uxori Virum, Sorori Fratrem, liberis Parentem, honestissimis propinquis cognatum suum, qui etiam tacendo, atque terram, ut vides, intuendo, hanc tibi gratiam clamant, atque obsecrant, suoque illo gravissimo vultu, ut lacrymis Uxor, ac Soror, liberique parvuli gemitibus absentes faciunt, hujus supplicia deprecantur, in hujus denique unius salute multorum innocentissimorum salutem, ac vitam retine, Teque in illud nomen, atque in eam gloriam, quæ non solum Hercule digna sit, sed quæ omnes Herculis laudes longe superet, tolle; tuasque cæteras Virtutes hac una tam ampla, tamque splendida ignoscendi, atque commiserendi ratione illustra, atque cumula, quæ si cæteris tuis virtutibus, & sibi ipsi læta, atque auctior accesserit, præsens Deus eris, & habeberis. Dixi.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

LUCRETIÆ JOANNIS PAULI MANFRONII

Uxoris nomine eidem

HERCULI ATESTIO

GRATIARUM ACTIO.

Etsi tua tanta, Hercules Princeps, in Joannem Paulum Manfronium hodie fuit clementia, ut ne in referenda quidem gratia, quamvis amplissima, satis tibi umquam fieri posset, qui illi, quam æquissimo jure vitam eripere poteras, eam benignissime condonasti; tamen ut magis hominum consuetudini, quam tuo merito quicquam respondeam, has parvas in præsentia pro ejus Uxore tibi gratias agere statui. Sed antequam ad gratiarum actionem veniam, hæc pauca, quæ ad meriti Tui magnitudinem pertinent, percurrere libuit. Duę res in primis, Hercules, a Principe expeti solent, Justitia, & Clementia. Ita enim hæ duæ Virtutes inter se conjunctæ sunt, atque commode conveniunt, ut altera sine altera recte esse non possit. Nam qui Princeps a summo Jure discedere nescit, is sæpe in summam injuriam incurrat, necesse est; qui contra totus misericordia deliquescit, ne malos improbiores, reos etiam quamplurimos efficiat, magnum est periculum. Harum autem utramque Tu, Hercules Princeps, ita in Tuis judiciis exerces, ita utrique, quod suum est, æque impertis, ut in utraque egregie excellas. Id quod cum quotidie tum publice, tum etiam privatim optime præstes, hodierno tamen die, quam clemens, quam misericors, quam magno animo fueris, qui non videt, eum Solem arbitror non videre; cum ei hosti, qui se Tibi & venenum misisse, & multis in locis cædem constituisse, & ad Senatum Venetum se de Peninsula a Te esse attentatum falso detulisse, & Cives, ac familiares tuos miserabiliter interfecisse, confessus est, ignovisti, pepercisti, hancque suavissimam vitæ usuram

 con-

condonasti. Qua una ista tua multiplici clementia quid majus, quid amplius? quid magnificentius excogitari possit, non video. Singula enim hujus scelera hominem mortis cujusvis immanissimæ reum efficiunt; Tu tamen omnia in uno absolvisti, atque remisisti, ut in una tua misericordia toties isti vitam concesseris, quoties is in tuam & scelerate cogitarit, & nefarie etiam egerit. Dici solet, Princeps, nullam tantam animi placabilitatem a quoquam amicissimo expectandam esse, quam quæ a Parentibus expectatur. Utrum autem iste tot suis sceleribus Parentibus usus esset clementioribus, quam Te, in quem ita sævisset, est usus, in incerto relinquitur, ut etiam in immanissimo hoste Tuo pietatem Patriam superaris.

Una, Princeps, benigne faciendi ratio prudentissimorum omnium sententia est ex maximis virtutibus, quæque homines ad se amandum trahit, atque, si qua alia, cogit maxime. Et recte quidem. Quid enim amabilius est, quam aut pecunia, aut officio, cum opus est, multos juvare? Hæc in re dubia consilio, in afflicta ope suos non deserit; hæc eadem sua sponte multis, rogata omnibus benigne opitulatur. Qui vero hanc exercent virtutem, quam ab omnibus amentur, quam colantur, quam prope in numero Deorum habeantur, non puto Te expectare, dum dicam; omnes vident; omnes prædicant; omnes omnium Historiæ docent, quæ sic eos illustrant, sicque in hominum cæterorum memoria, atque amore conservant, ut in dies splendidius vivant, neque ulla umquam ætate sint interituri. Hujus virtutis comes, & socia est Clementia. Utraque enim in benigne agendo versatur. Illa in muneribus, atque officiis; hæc in pœnæ absolutione munus suum exercet. Verum si apud hominum animos tanta vis est munerum, tantaque præstitorum officiorum auctoritas, quanta illa esse debebit, quæ homini Patriam, quæ manus, quæ oculos, quæ linguam, quæ denique vitam ipsam conservat, ac retinet? Certe qui in judicando hanc virtutem servarit; qui misericors erit; qui ignoverit; qui in danda vita exorabilem sese præbebit; is jure optimo liberalissimorum omnium laudem, ac gloriam vicerit. Tantum item est, Princeps, hominum cum judicii, tum etiam invidiæ, ut cum aliquod nobile factum editur, multi non desint, qui aut quod rectius videant, aut odio adducti, aut aliquid in eo desiderent, aut totum

etiam

etiam improbent. Quæ improbitas usque eo processit aliquando, ut quidam etiam justitiam ipsam humanæ societatis certissimum vinculum non recte constitutam esse, dicere non dubitarint. In una ista tua tamen Clementia, atque animi summa benignitate, quam omnes tecum, Princeps, consentiant, quam factum istud tuum clementissimum æque omnes probent, atque in Cœlum tollant, mirabile est dictu. Viri, mulieres, juvenes, senes, cives, peregrini, Religiosi, profani, mariti, connubio liberi, nobiles, ignobiles una voce omnes Te egregie, Te splendide, Te gloriose fecisse prædicant. Nihil a Te in hoc facto quicquam desiderari posse affirmant; immo vero cum Te omnes caussas habere scirent, quamobrem non solum jure æquissimo vitam huic adimeres, sed id etiam per omnes cruciatus [ne quid in turpissima nostra caussa dissimulemus] facere posses, istam Tuam tantam misericordiam, istam Tuam tam alti animi magnitudinem satis suspicere non queunt, neque iis laudibus, quibus digna est, se persequi posse palam confitentur: ut, quod omnium difficillimum est, sine invidia laudem, ac gloriam maximam inveneris. Etsi in tota Tua vita, Hercules Princeps, nihil a Te non splendide, nihil non magnifice, nihil non alto, atque elato animo factum cernitur, qui nullum diem aut liberalitatis in omnes, aut clementiæ in reos, aut benignitatis in miseros, atque inopes vacuum tibi sinis præterire. Siquidem hodie prædiis alios auges; alio die alios gravissimo supplicio liberas; quotidie vero in egenos & palam multa, & secreto multo etiam plura conferre non intermittis. Duo tamen dies in ea quasi duo majora gloriæ Tuæ luminaria splendidius micant; eorum alter est, cum es Princeps creatus, quo die [ut nunc omittam captivorum missionem, quæ de more gentium factitari solet] omnes familiares Tuos, multos etiam ex Civibus Tuis gratis locupletasti, cum alios prædiis, ædibus alios, præsenti pecunia alios, alios aliis nobilissimis, ac Te Hercule dignissimis muneribus prosecutus es. Hodiernus autem dies alterum vitæ tuæ luminare est, in quo ex ista Tua animi mansuetudine inaudita, atque inusitata clementia tantum tuæ gloriæ splendoris accessit, ut nulla temporis longinquitas, nulla hominum oblivio id sit unquam obscuratura, cum tuas gravissimas, atque æquissimas injurias ei hosti condonasti, qui [sæpius enim di-

dicendum est] cum armis, tum veneno in vitam tuam non semel grassatus est, qui cum odium, ac rabiem suam Tuo sanguine explere nequiret, ac pessimum animum suum sequeretur, præfectum Lictorum Tuorum Tibi sub mœnibus Urbis obtruncat, atque ejus caput secum aufert; qui in Urbe paulo post illud teterrimum factum optimo Civi Tuo, suo inimico Nicolao Roverellio in lecto, ac prope ex morbo animam agenti pari ratione caput abstulit. Pro quibus tot, ac tantis sceleribus Tu ei hæc omnia sua sponte, ac nullis adhibitis tormentis confitenti, vitam concessisti. Ut etiam horum duorum dierum lumen si conferatur, hoc Solis, illud Lunæ facile videri possit. In illo enim cæteros Principes superasti; in hoc Te ipsum, hoc est, æquissimam iracundiam Tuam, jucundissimam vindictam fortiter vicisti. In qua una altissimi animi clementia unum C. Cæsarem sæpius versatum esse intelligo, cum M. Marcello, cum Q. Ligario, cum cæteris ejus generis adversariis suis vitam, ac Patriam restituit. Tu tamen, Hercules, [audi quid dicam] longe Cæsaris clementiam omnem superasti. Is enim suis Civibus æquissimis hostibus ignovit, tu vero ei, qui alienus, qui nulla caussa te omnibus fraudibus non semel appetiverat, qui Tuos interfecerat; ille eis, qui longissime gentium aberant, & multorum, ac gravissimorum Virorum precibus defendebantur; Tu eum, quem sub securi habebas, ac pro quo pauci, certe qui apud Te nulla gratia, nullaque auctoritate valebant, verba facere sint ausi, hodierno die conservasti. O vere fortunatum istum Tibi diem, Hercules Princeps, in quo tantus cumulus gloriæ Tuæ accessit, ut nihil ei posthac aut adjungi, aut desiderari possit. Tua quidem, Hercules, egregia monumenta, & præclare res gestæ jure optimo perpetuo celebrabuntur, sed, mihi crede, hic dies tantum lumen cæteris tuis rebus addidit, ut quasi eas suo splendore, ac gloria sit aliquo modo obscuraturus. Sed jam illuc, unde est digressa, mea redeat Oratio. Lucretia, Hercules Princeps, pro isto tuo tanto in se beneficio, pro marito sibi charissimo restituto, pro altera vita a Te Optimo Principe sibi reddita, pro isto felicissimo universæ ejus familiæ die dato, immortales Tibi gratias agit, ac eam vitam exoptat, quæ a nullo alio, quam a Te ipso dependeat; felicitatem majorem optare non potest,

quam

quam eam, quam hodierno die es consecutus. Quod igitur potest, id facit, ut quotidie hoc modo Clementiam tuam magis illustres, omnes Deos omnibus precibus rogat, atque orat, eamque vitam, [si quid hoc est tamen] quam hodie ejus Viro tam benigne elargitus es, posthac Tibi totam addictam esse pollicetur. Ea igitur, ut Tua in secundis, in adversis utere, non minus eam Tuam volentem, quam cum coactam in Tuis istis clementissimis manibus habuisti, semper experiere. Dixi.

BARTHOLOMÆI RICCII

ORATIO

AD ALPHONSUM FERRARIÆ PRINCIPEM,

Quo die Princeps creatur.

NUlli dubium eſt, Princeps Ampliſſime, quin res omnes ſuam perpetuitatem hoc uno certo ordine conſervent, ut vetuſtiores a junioribus exceptæ, ac quaſi renovatæ, atque renatæ inceptum curſum ſuum in natura retineant; quæ rerum perpetua reparatio quotidie cum in arborum, tum etiam continua hominum propagatione palam ſervari videtur. In arborum, cum aut ſuapte natura novæ matribus ſuccreſcunt, aut humano ſtudio juniores vetuſtioribus ſupponuntur: in hominum, cum parentibus liberi aut in reliqua familia gubernanda, aut in populis regendis ex ordine ſuccedunt; ut Te hodie, Alphonſe Dux Optime (ut Te ad vulgi quoque appellationem nominem] Herculi Parenti tuo Duci Optimo in Principatu feliciter ſuccedere videmus. Pro qua tua divina ſucceſſione in hoc majus Urbis Templum, ut Deo Optimo Maximo gratias ageret, Tecum univerſus populus Tuus convenit, qui poſt omnem gratiarum actionem hoc inſuper omnibus precibus, omnibus votis Deum deprecatur, ut hunc diem, hoc Tui Principatus initium Tibi, Princeps Ampliſſime, ſibique, atque Tuis univerſis populis ratum, fauſtum, fortunatumque evenire velit, ſimulque iſtum ipſum Principatum in longiſſimum tempus tibi feliciter proroget; neve, Te imperante, aut bello, aut peſtilentia, aut quavis alia calamitate quicquam affici permittat. Hoc Deum. Quod vero ſequitur, Te rogat, atque orat; neque id eo tamen, quod quicquam dubitet, quin, quæ Ipſe e re ſua fore ſenſeris, ea Tua ſponte ſis omnia abunde præſtaturus, ſed quoniam in hujuſmodi initiis ita mos eſt rogandi. In primis autem Te rogat, ut jus omnibus æque dicatur; quod ſuum eſt, cuique tribuatur; neque quicquam in cujuſque gratiam aut fiat, aut judicetur; quod ve-

verum, quod justum, quod honestum sit, id omnium gratiam, omnia officia, omnes propinquitates, atque omnes amicitiæ necessitudines superet, atque antecedat. Quod unum cum probe præstiteris, omnia, quæ ad rectam administrandi rationem pertinent, probe præstiteris. Hac enim una æque judicandi ratione Civitates primum conditæ sunt, deinde etiam in hunc diem incolumes conservatæ. Tollas jus, ac quod suum est, cuique reddere, continuo omnes Civitates, omnia commercia, omnem denique humanam societatem funditus sustuleris. Sed quando hæc virtus in foro, atque in judiciis maxime versatur, maxima cum Tua laude fiet, si lites intra suum certum tempus terminentur, non autem, quas parentes filiis, aut etiam [si Diis placet] nepotibus, ac posteris persequendas relinquant. Quoniam vero quoddam hominum genus est, [si tamen hoc hominis nomine digni sunt,] qui humano sanguine sicas suas pascunt, qui die, noctuque in cædibus cujusque generis faciendis summa cum animi voluptate versantur; continuo repentinis istorum incursibus, improviso istorum impetu, atque occultis insidiis non solum Urbes tuas, sed universum etiam earum agrum perpurgabis. Certe, Princeps æquissime, per injuriam alteri, quod suum est, auferre, in judiciis a mendacio stare quovis Principe indignissimum est, dignumque maxime, quod summo supplicio puniatur; verum nulla capitalior pestis, nullum majus scelus, nullum magis indignum facinus, quam, cum in pacatissima Civitate, quæque in summo otio constituta sit, honestissimi, atque innocentissimi Viri, aut a suis, aut ab alienis sicariis in viis, in foro, in Templis, atque etiam domi suæ immaniter trucidantur. Quare primo quoque tempore istorum latronum nefarios mucrones a Tuorum Civium jugulis rejeceris, eorum vero cervices Tuis æquissimis securibus subjeceris. Quod summum beneficium cum istis dederis, scito, Te apud eos Cives illud posuisse, qui Tui absentis semper cupidissimi fuerunt; nunc vero cum Te præsentem, atque adeo Ducem suum intuentur, [quorum omnium oculos in Te amantissime conjectos vides] omni gaudio, atque omnibus animi lætitiis liquefiunt; qui omnes populos fide, atque observantia in suos Principes longissime antecedunt. Ex quibus quo tempore Te ad Parentis tui funus, idque non paucorum dierum,

rum,

rum, usque ex ultima Gallia expectant, summam Tui etiam dum longissime gentium absentis reverentia non modo nullum gladium vagina quisquam eduxit, sed ne verbum quidem odiosum, atque insolens fecisse usquam auditus est, qui in Te uno spem omnem suam positam habent, ut rebus suis optime consulas; ac nisi, quæ Tibi summam gloriam pariant, sibi vero maximam utilitatem comparent, nihil omnino constituas. His accedit, Princeps Illustrissime, quod huc Tui aliarum Civitatum populi assidue, quoties eorum res postulat, Legationes mittunt. Hæ ne ad publicum hospitium publicam pecuniam prius consumpserint, quam ad Te admissæ sint, non postrema Tua cura est futura. In postulationibus vero, [quas supplicationes appellant] subscribendis, si Ipse illas legeris, atque tuo judicio subscribi jusseris, primum populum Tuum, ne, si per alios id agas, parum æque secum agi suspicetur, liberabis; deinde vero, ne, quæ cuique in mentem venerint, omnia temere postulare audeat, prohibueris. In omnibus autem Civitatibus in primis ubertas, & rerum omnium copia, atque vilitas commendatur; quibus commodis, si ut hæc Tua, immo vero Tuæ omnes Civitates maxime abundent, æque curabis, tum ab alienis melius audire, a Tuis vero ardentius amari non posses. Quam multa, ac maxima hoc in loco prætercam, quamque hæc, de quibus ago, frigide pertractem, plane sentio; sed me neque vehementiorem Tua bonitas, neque longiorem temporis angustia patitur. Quare hoc tantum addam, Te ad hunc populum regendum, ad istum Principatum gerendum a Deo & factum, & missum esse; Tu vero Te illum Principem, [quod certo scio facturum] probabis, qui tanta ista electione & dignus sis, & habearis: id quod facile assequeris, si illum in toto administrationis tuæ curriculo imitaberis, præsertim in una justitia omnibus æque semper conservanda. Si vero quod cum justitia conjungi solet, de Tuo illis [quæ liberalitas dicitur] in eorum difficultatibus aliquid impertiveris; tum isti [mihi crede] non ut optimum Principem observabunt, sed ut præsentem Deum venerabuntur. Humanum enim est alteri, quod suum est, non eripere, suum autem aliis largiri, divinum: quod qui faciunt, magis cum Diis, quam cum hominibus, sunt conjungendi. Hactenus, Illustrissime Princeps,

quod

quod ad aliorum cum preces, tum etiam gratiarum actionem attinet; nunc vero, ut de me paucis agam, reliquus hic locus est. Ego Tibi, summe Deus, maximas gratias ago, atque multo etiam majores habeo, quod me tam diu in vita reservasti, ut eum Principem mihi a puero eduxi, atque in optimis studiis paterne institui, primum Virum optimum, atque omni gloria abundantem, tum etiam in eo Principatum, quem ego naturæ desiderio magis cupere, quam annorum meorum ratione sperare poteram, feliciter constitutum viderem; quodque hac mea haud ignobili actione, quæ illi sæpe alias domi privatim præcepta dederam, sanctissima hæc eadem nunc ex hoc publico loco strictim renovare possem. Ut vere fatear, mihi nihil in vita, ne vitam quidem ipsam contigisse, quod cum hujus diei felicitate conferri, ne dum anteferri queat, in quo secundæ fortunæ meæ tranquillissimo statu, atque hujus navigationis, quæ vita dicitur, securissimo portu, ut ætas mea jampridem ingravescens placidissime conquiescat, Alphonso vero Principi Optimo ut omnia feliciter secundes, atque si quid est, quod ad ejus felicitatem cumulandam adjungi possit, id ne diutius desideretur, te rogo, oro, obsecro. Dixi.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

ORATIO

In qua disputatur, utrum melius, an Rex absens per alium, an magis ipse præsens bellum suum gerat.

AD ALPHONSUM FERRARIÆ DUCEM.

MAgna controversia est, Alphonse Princeps amplissime, utrum in bello utilius sit, si Princeps, aut Rex, quorum caussa bellum geratur, ipsi Duces; an per alios, illud gerant. Qua de re cum hesterno die duo nobilissimi, atque doctissimi adolescentes satis copiose uterque pro sua parte apud me disputassent, te absentem Judicem, me præsentem, quasi communem Patronum, qui æque utriusque argumenta, atque rationes tibi explicarem, delegere. Quare ego [ut iis amice recepi] fidem meam nunc præsto, ipse postea, ut a me peroratum erit, utri magis adjudices, videbis. Continuo igitur, qui per alios rem gerendam esse censebat, Regemque ab exercitu prorsus amovebat, his rationibus valde [ut videbatur] caussam suam tuebatur. Primum enim dicebat, in bello rei summam in summum discrimen haud quaquam esse adducendam. Nam cum multa in eo providenda sint, unum illud in primis, imo vero omnium primum, ne rei summa in summum periculum vocetur, omni diligentia providendum esse, facile probabat. Quare etiam signorum collationes, quæ nisi aut exploratissima victoria, aut cum res eo ducta est, ut prælium detrectari non possit, conferri debent, maxime devitantur; ut etiam non defuerit, isque optimus Imperator, qui bellum trahendo cunctatoris calumniam, quam cum Reip. aliquo periculo signa conferre, facilius sit passus. Quo uno concesso, illud quoque necessario conceditur, Regis præsentiam a bello gerendo omnino esse abducendam, atque per alios, quam per se, illud prorsus geri oportere, quando, quam ejus

præ-

præsentia, hoc rei summæ periculum certius, ac magis præsens offerri non possit. Nam si hic quoquo modo aut capiatur, aut occidatur, tum cum eo postea bellum confectum, atque sepultum est, hostisque victor omnia potitur, ut nostra memoria Francisco Galliæ Regi ad Ticinum evenisse constat, qui optimo peditatu, meliori etiam equitatu paratissimus, atque adeo, qui hostem obsessum, jamque fame enectum habebat, subita tamen ejus ex Urbe eruptione facta, capitur; quo capto, bellum confectum est; pacis conditiones ad victoris voluntatem impositæ sunt; qui si plagam illam absens accepisset, continuo poterat novum exercitum conscribere, novas copias comparare, bellum redintegrare; capto vero, omnia secus evenere, multo etiam pejus, cæso, evenissent. Huc accedit, quod non e Regia dignitate esse videtur, ut hic noster fecit, ut Rex maximus, quasi cum privatis militibus in certamen descenderet; verum si contra hostium quoque Rex suum exercitum duceret, tum æquius res geri videretur, cum utriusque exercitus par auctoritas intercederet; ut Turcarum Reges bellicosissimi facere consuevere, qui quoties audivere sibi pugnandum esse cum hostium Rege, atque Imperatore, neque ipsi domi mansere otiosi, seu se in illis bellis contra Imperatores præbuere. Quid vero si Rex iste hoc modo ad exercitum suum multifariam hosti suo prodesse videtur? Duo sunt, quibus homines in bellicis periculis versantur, seque præsenti morti objicere non dubitant; magnæ prædæ spes alterum; alterum summæ gloriæ summum desiderium; quorum utroque nihil majus, neque præstantius offerri potest, quam cum Rex ipse præsens bellum suum administrat. Hoc enim capto cum ingenti præda maxima gloria victor in Cœlum fertur; quo impulsu hostis carebit, si hic magis domi, quam ad exercitum, bellum curabit. Deinde, quod non tantum formidinis, atque metus sua iste præsentia hosti [ut isti dicunt] injecerit, quantum etiam studii, atque virilis conatus in eodem excitarit. Nam cum hic rem interius considerabit, ac Regem præsentem suis in consulendo, hortando, agendo plurimum prodesse, nusquam sibi deesse, omnia ad unam victoriam prudenter obire, senserit, tum ut sibi contra hæc eadem a se comparet, omni studio, omni diligentia conabitur, atque omnes nervos, omnes vires intendet,

ne

ne quicquam illis inferior sit. Rem enim consulto incipiet, incœptam fortiter, atque feliciter conficiet. Siquidem in consulendo Regis prudentiam ut æquet, omne suum consilium, in manu vero conferenda ut eum superet, omnes suas vires, omnes suos conatus adhibebit; quæ sine hoc Regio impulsu, atque alieno Imperatore ignavius, atque inconsultius [ut sæpius fieri solet] agi potuissent. Quid item, quod in hanc victoriam hostis ea quoque ratione magis incitabitur; quod eam laudem, atque gloriam, si victor sit, cum nullo Rege suo habeat communicandam, sed suam propriam totam agnoscat? At, quo præterea vestitu Rex iste, si adsit, in acie, inquit, versabitur? Nam si alieno, ut fit interdum ad hostem fallendum, is tam a suis, quam etiam ab hostibus non agnoscetur, atque ita nihilo amplius proficiet, quam si gregalis sit eques. Quin huic nulli auxilio id quoque summi accedit periculi, quod si equus illum defecerit, aut is ex eo aliquo malo fato exciderit, magnum periculum erit, ne in pugna collidatur, atque incognitus ab omnibus inculcatus deferatur. Si vero suo Regio induatur, ut cognitus suis animum addat, contra hosti terrorem incutiat, respondet. Primum longe [ut nunc nostra est militia] in eam partem, in qua Regium insigne conspexerit, hostem omnia tormenta militaria esse directurum, atque unam eam partem frequentissimis pilis verberaturum, ac Regem ipsum pro suo [ut dicunt] scopo positum habiturum. Deinde quamvis occasionem nactus, quam undique observans, vel minimam arripiet. Aut enim dolo, atque insidiis illum appetet, aut vi aperta, atque animi virtute vel in ipsis tentoriis aggredietur: ut Romanus Porsenam Regem fecit, quem nisi nobilissimi adolescentis forma, quam pro Rege accepit, fefellisset, uno ictu bellum illud confecisset, Populumque Romanum obsidione liberasset. Quid, quod non solum hoc ab hoste illi metuendum est, sed a suis etiam nihilo ignavius providendum? ut Pyrrho Epirotarum Regi evenisset, nisi antiqua Fabricii bonitas illi præsto affuisset, qui, quem sibi illum veneno necaturum obtulerat, illi cum suis literis, quibus eum de tota re certiorem faciebat, vinctum remisit. Alexander vero, [ut multi suspicantur,] hac una ratione de medio a suis sublatus est. Quo multiplici periculo, quoniam Resp. caret, eo fit,

ut

ut potius ipsa plures Reges sit superatura, quam sola ab omnibus Regibus superanda, quia ejus summa numquam per Imperatorem in periculum adduci potest. Nam, deleto uno exercitu, novus reficitur; amisso veteri Imperatore, alter illi sufficitur: uti Romanæ Reip. evenisse constat, quæ innumerabiles Reges subegit, a multis ipsa una simul fœdere junctis nihil offensa. Ut omnino magis Regem consilio domi bellum gerere, quam foris, aut in acie instruenda, aut exercitu ducendo, aut manu conserenda conducere videatur, quando ejus persona tot sibi incommoda, tot vero hosti commoda sit allatura. Hactenus pro eo, qui Regem ab exercitu absuturum esse censebat, remque per alios illum gerere malebat. Nunc aggrediar, quid contra hunc adversarius; atque statim ad rei summam, quæ numquam, nisi cum res aut cogit, aut pro nobis manifeste apparet, periclitanda est. Quod quidem iste sine ulla controversia concedit, sed illud prorsus pernegat, in præsentis Regis persona tantum rei summam fortunæ objici omnino. Nam si ita sit, omnes Reges, qui præsentes bellum suum gessissent, rem suam male gessissent; quod tantum abest, ut evenerit, ut Philippus Macedo præsens, ac rem ipse suam gerens, tot Urbes subjugaret, ut Alexandro adolescenti filio querendi caussam daret, sibi nihil ab eo relinqui, in quos vires, atque virtutem suam experiri posset; qui postea tamen cum multa bella, multa etiam prælia Imperator feliciter confecisset, *Magni* cognomentum est adeptus. Nam quod ad veneni suspicionem [ut hoc loco illi respondeam] multis partibus ii plures sunt, qui illum suapte morte obiisse, quam qui veneno sublatus sit, affirmare non dubitant; ut non solum, quod Rex Franciscus ut Imperator ad exercitum esset, in caussa fuerit, ut caperetur, sed ejus sola imprudentia, atque hostium contemptus. Nam si is fuisset, qui esse debebat, videlicet, qui hostem magis fame, quam suis armis obsessum teneri cognosceret, non ita illum contempsisset, ut pro nihilo [quid enim pro capto dicam?] haberet, vidissetque in summa rei desperatione homines prope victos victorem suum sæpe superare solere, atque ita cautius rem gerendo numquam improviso oppressus fuisset, neque suos prius fusos, fugatosque, quam armatos, vidisset. Nam cum ego, inquit ille, Regem exercitui suo præficio, non illum illi

præficio, qui somniculose rem gerat, quique hostem nihili faciat, qui denique eum captum, atque victum, cum etiam armatus sit, esse confidat; sed qui per exploratores, non solum quid ille agat, verum etiam quid consilii capiat, atque constituat, quam quæ in suo exercitu fierent, in singulas horas planius teneret; qui nihil omitteret; nulli sumptui parceret, ut hostium consilia, atque deliberationes deprehensas haberet; quibus præcognitis facile postea illorum conatibus occurreret, nihilque ad suum finem eos perducere permitteret. Ut quod ad Regem Franciscum attinet, is sua potius [ut dictum est] imprudentia, atque quod eo modo, quo esse debebat, in exercitu non fuisset, quam quia tantum præsens affuit, captus sit; qui in tali quoque casu saltem [si quid consilii habuisset] se recipere, atque ex acie incolumis excedere, atque etiam fugere, ut iterum pugnaret, honeste potuisset. Quod vero adversarius hanc Regiam administrationem concedat, cum par res geritur, hoc est, cum adversarius quoque Rex ad suum adsit exercitum, non autem, si secus sit, nihil meam sententiam labefactat. Nam si solus sit, multis commodis exercitus noster abundabit, quibus omnibus adversarius carebit. Continuo enim res cum maturius constituetur, tum etiam fortius postea geretur. Nam cum coram Rege quid agendum sit, decernitur, aut is id sua prudentia videt, aut a suis Consiliariis id ipsum habet optime indagatum, qui ut illi suum probent, omne suum studium, atque industriam certatim in consultationem adhibent. Id quod in re præsenti, quæque oculis cernatur, quam si absens, atque de qua præter auditum habeat nihil, multo certius judicat. Cum vero res ad manus pervenerit, ea quidem ardentius geri non posset. *Urget* enim [inquit ille] *præsentia Turni*. Quis enim vel supra vires suas non conabitur ante sui Regis oculos cum hoste præliari, cui proprio desiderio speratæ quoque gloriæ desiderium accedit, cujus tantus ardor est, tanta vis laudis, atque dulcedo, ut quisque potius in hostium mucrones incurrere, quam loco pedem ne lato quidem pede referre, atque ante Regis conspectum fortiter pugnans cadere, quam saluti suæ quovis alio modo consulere, mallet. Hoc autem, etsi sua quisque sponte facit; tamen cum Rex ipse quamque aciei partem obit, atque unamquamque nationem, Duces vero

ipsos

ipsos nominatim hortatur, ut in rem strenue, ac fortiter incumbant, victoriam illis certam proponit, parumque abesse, quin hostes terga vertant; summam belli in eo prælio esse, ex cujus victoria sint secum postea triumphaturi, demonstrat, huncque postremo diem quantum quisque armis in hostem, fide autem, ac benevolentia in se valeat, declaraturum. Quis tum eorum etiam fugiens in prælium non recurret ardentius? quis fortis non multo etiam fortior fiet? quis saucius, atque pugnando defessus, non integris viribus, non recentissimus reddetur! Quorum si nihil adsit, hoc est, si Rex absit, meticulosus non solum non pugnabit, sed, ut primum facultas dabitur, se [ut leviter dicam] recipiet, ordinem destituet, atque omnia conturbabit. Fortis, ac gloriæ cupidus etiam Regi absenti suapte sponte, atque virtute omnia præstabit, sed multo tamen fortius, atque valentius in pugna se gesserit, si, suo Imperatore Rege pugnarit spectante, atque se in pugnam hortante: illumque equum imitabitur, qui natura in cursu maxime incitatus, si tamen calcaribus etiam incitetur, multo velocius campum transmittet. Sed quoniam fortuna in omnibus rebus, præsertim autem in bellicis, dominatur, nulla victoria tam explorata est, quam victori, si volet, eripere non possit. Si vero in ipso conflictu tale quid acciderit, præsto Rex adest, qui sua prudentia statim illi occurrat, atque alio, atque etiam interdum in hostes ipsos, illud convertat; ut in eo bello, quod Tullus adversus Vejentes, atque Fidenates gessit, comprobatum est. Nam cum in medio prælio Rex audisset, Sufetium se prodidisse, atque cum suis copiis ad hostes transisse, continuo suis alta voce, ut etiam hostes audirent, clamavit: *nolite timere; ego Sufetium cum suis copiis eo misi, ut hostem a tergo adoriretur*. Quo audito, suis animus redditus est, hosti vero metus non parvus injectus; atque ita hinc fortiter pugnando, illinc lente, ac timide agendo, Romanus victoriam reportavit; quo tempore si Rex abfuisset, res Romana collapsa fuisset. Neque credendum est, Alexandrum tot Regna, tot provincias tam facile capere potuisse, nisi ipse rem suam gerens in bello continenter affuisset. At is tandem veneno a suis sublatus est. At id domi quoque illi accidere poterat. Non enim, quod ad bellum fuisset, illud venenum [si omnino veneno periit] illi compararunt, sed nimia ejus Ducum

regnandi cupiditas, qui ejus Regnum inter se postea dispertivere. At prædæ & summæ gloriæ spes, quas duas res miles in bello tantum sequi videtur, nusquam illi major proponitur, quam cum Rex in bello, atque in acie versatur, ut qui cum suis Principibus aut capi, aut fugari possit. Quo perfecto, post nobilissimos equos, pretiosa arma, ac præsentem vestem, atque pecuniam, redemptionis quoque pecunia consequitur; gloria vero, quæ omnibus Historiis celebretur. Quare videndum est, ne hac ratione hostem in nos potentiorem reddamus. Concedo, inquit, qui a Rege est, meos non eam spem habere aut tantæ prædæ, aut tantæ gloriæ, quantam meus hostis habet. Sed illud contra affirmo, Regios pro suis spoliis tuendis, atque gloria consequenda, ne scilicet ab humili exercitu Regius exercitus superetur, ac spolietur, manibus ac pedibus omnia conaturos, quando turpius est, atque cum majori fit infamia, omittere, quod suum habeat proprium, quam alienum non acquirere. Quare ut illi omnes nervos intendent in Regiam prædam consequendam, ita contra Regii, ne illis prædæ sint, omnes nervos, atque vires adhibebunt, ac vitam potius ipsam, quam rem, omittent. In quo facto cum eorum res sit, horum vero spes, quanto hæc superiori inferior est, tanto etiam in prælio posteriores, qui spe, quam qui rem possident, erunt futuri. Nam si Rex is sit, qui militarem scientiam [ut par est] probe teneat, neque ejus proceres, atque equites tyrunculi sint, atque in armis parum exercitati, quique ad primum tubæ sonitum fugam arripiant; sed quorum terga ne in pugna quidem hostis viderit; nihilo in re sua tuenda, atque gloria conservanda, quam hostes in iisdem invadendis, minus valebunt. Quod vero ille dicat, hostem prudentiorem, atque fortiorem ex hostis Regis præsentia reddi solere, ut qui se videat adversus Regem, cujus vincere maxime intersit, esse pugnaturum, quare etiam ita se comparat, ut non solum cum illo pugnare audeat, sed illum etiam capere confidat; hoc quidem ut ita sit, multis tamen ii plures sunt partibus, quibus ne id quidem in mentem venit cogitare; certe meticulosis, quibus exercitus pleni sunt, hac ratione nihil profuit, qui in tali casu nihil aliud cogitant, nisi ut salutem pedibus sibi comparent. Sed nullum terrorem hosti injecerit,

qui

qui illo vacuus esse non poterit, quoties adversus Regem, cujus res totas agi intelligat, se pugnare videat; certe suis meticulosis omnem viam occluserit, ne quid aut ignavius agant, aut etiam aufugiant, fortes vero [ut dictum est] animosiores efficiet. Neque illud audiendum est, quod commodius cum iis militibus agatur in victoria, cui nullus suus adsit Rex, comparanda, quoniam hanc cum illo nullam habeant communicandam; quasi vero contra Imperatorem, qui illis pro Rege sit, non habeant, cui major ejus pars attribui debeat. In Regis vero vestitu multum etiam ponunt, quod ab Rege fit. Nam si alieno, ne a suis quidem agnoscetur, ut, si casus ferat, adjuvari possit; si suo, tum suo indicio se hosti prodiderit. Utroque, inquit, cum res postulabit, utetur, ut si res dolo conficienda sit, tum vel rustico induetur; suo vero, cum sui cognitione opus erit; atque ita suis profuerit, hosti vero alterum tantum obfuerit. Isconii Princeps [ut de nostris agam] cum Urbium, atque locorum situm, atque naturam cognoscere vellet, tum vel mendici vestitum sumebat; cum vero palam in acie versandum esset, non solum sua veste, sed notissimis etiam armorum signis pugnabat; atque ita ubi auxilio opus esse videbat, illo præsto currebat, ac loco dejectis subveniebat; ubi vero hostis aciem inclinare sensisset, tum sua manu, atque sua præsentia eam premebat, atque cedentem insequebatur, atque ita suis animum addebat, hosti vero adimebat; neque ita latus apertum a suis equitibus hosti præbebat, ut se capi posse quicquam timeret. Ut in vestitu tantum absit, ut quicquam Rex offendat, ut eo quoque rei suæ plurimum consulat. Postremo vero, quod Reip. exemplo sententiam suam tueri conetur, quæ quoniam per alios bella gerat, magis hostem superet, quam ab hoste superetur; ego non ea ratione eam vincere censeo, quia summam rei in summum periculum adducere non possit; sed quia optimis Imperatoribus, fortissimis Ducibus, atque exercitatissimis militibus, ut Romanam fecisse legitur, bella gerebat. Habes, Alphonse Princeps Amplissime, utriusque caussam [quantum in me fuit] planius peroratam; nunc restat, ut ipse de ea, quid sentias, proferas; cui tuæ sententiæ nullam se provocationem habituros, pollicentur.

BARTHOLOMÆI RICCII

IN BARTHOLOMÆI FERRINII FUNERE

O R A T I O.

Ad Lanfrancum Gypſium Herculis Ateſtii Ferrariæ Principis & Atrii Præfectum accuratiſſimum, & Conſiliarium prudentiſſimum.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lanfranco Gypſio S. D.

Orationem in Bartholomæi Ferrinii funere a ſe ſcriptam ſub ejus nomine exire velle ſignificat, ut ſecum tantum amicum defleat, paremque luctum pari benevolentiæ reddat.

Vides, Gypſi, qua conditione homines ſimus nati, quaque nobis ea vel cum belluis communis, niſi longe etiam inferior interdum ſit. Ferrinius adoleſcens optimis moribus, vita integerrima, fructu jam maximo, qui tamen longe major ſperabatur, tam ſubito nobis ereptus eſt, ut repentino mortuus videri poſſit. Quem ego caſum, quam communem amicorum jacturam, quæ in eo maxima facta eſt, cum multis modis mecum lugerem, neque meo tamen dolori, neque ejus virtuti a me ſatis factum eſſe duxi, niſi

meis

meis lacrymis aliis quoque lacrymas commovissem. Quare hanc Orationem, quam in ejus funere scripsi, edere statui, sperans, id me eo modo ab omnibus, qui eam legerent, facile consequi posse. Ea vero separatim ut sub tuo nomine exiret, volui. Sciebam enim, te in primis illum amasse, summoque ejus desiderio quotidie gravius commoveri, ut nihil dubitarem, quin tibi hujus lectione istas lacrymas excuterem facillime, ac hoc quoque modo, si mecum tantum amicum defleres, tibi foret longe gratissimum. Lege igitur, ac defle, paremque luctum pari benevolentiæ redde; in primis autem etiam atque etiam diligenter, ut valeas, cura. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII

ORATIO.

In Bartholomæi Ferrinii Funere.

UTinam, Princeps amplissime, Cives honestissimi, Bartholomæi Ferrinii laudes hodie mihi ex hoc loco vobis essent lacrymis explicandæ; cumulate enim hoc modo illis me satisfacere posse facile sperarem; sed cum id mihi Oratione faciendum esse video, ne id satis præstare possim, prope despero. Nam, cum illæ multæ, ac magnæ sint, meæ autem dicendi copiæ multo minus, quam mediocres, si tanta vis lacrymarum accedat, quantam ex istis miseris oculis defluere videtis, ne istis opprimar dicendo, ac pro verbis lacrymas tantum vobis hoc loco effundam, magnum est periculum. Cur igitur potius cum mulieribus domi istud officium Ferrinio tuo non præstitisti; locum hunc alii ad dicendum & paratissimo, & fortissimo Viro reliquisti? Utinam id mihi per ejus charissimam uxorem, ac propinquos omnes licuisset; fecissem equidem quam libentissime; sed cum isti omnes hoc munus a me uno contenderent, atque ita contenderent, ut aut illis ingratissimus, si id negassem, aut vobis ineptissimus, si concessissem, viderer omnino, malui meam fidem hoc quoque modo illis probare, quam vestram animi mei imbecillitatis accusationem certissimam tacendo devitare. Tu igitur, dolor, tu, dolor, unde mihi tam perpetuum luctus flumen emanat, hoc mihi nunc, quantum unius horæ est spatii, comprime; tu lacrymas siste; mentem, atque animum laxa; vocem libera; verba explica; brevis temporis est, quod te oro; non quin multa & maxima mihi hodie dicenda essent, sed vereor, si longius tempus petam, ne id te exorem; quin ex hoc quoque tam parvo, si impetro, me tibi gratissimum fore polliceor. Nam cum me domum contulero hodie, cras, ac quoties tanti amici in mentem venerit, veniet autem sæpissime, toties vim lacrymarum ingentem tibi persolvam, toties luctum meum renovabo.

Nascitur hic igitur [ut inde Orationis meæ exordium sumam, unde is vitæ suæ initium sumpsit] parentibus obscuris, nulla familiæ cognatione, in re autem perquam angusta, ut si fortuna huic Ferrariam Patriam ademisset, nihil hoc homine infelicius, nihil miserius nasci potuisset; sed quantum huic fortuna improbe detraxit, tantum, atque adeo longe amplius, a natura isti ipsi recompensatum est. Continuo enim hæc id huic ingenii elargita est, quo ad omnia ingenua studia maxime aptus esse videretur, quo item & dotem satis amplam, affines, quos voluit, certe posteros, si vixisset, nobilissimos relicturus, dignitatem autem, quantam mox audietis, sibi comparavit. Nam cum Pistophilus Alphonsi Principis a secretis pari Vir & judicio & integritate hunc adolescentem optimo ingenio, spe maxima videret, continuo illi animum adjecit, neque prius ab illo suo desiderio destitit, quam eum in illum locum, qui est a scribendis Principis Epistolis, collocavit. Jam decimus sextus huic annus agebatur, cum primum Alphonso Patri tuo hanc operam in scribendis Epistolis publice dare instituit; quam etiam tibi, Hercules Princeps, multos annos præstitit integerrimam. Cujus officii recte perfungendi cum duplex ratio sit; una, quæ ad Cives, atque ad cæteros, quibus aliquo modo cum Principe agendum sit, pertinet; altera, quæ tota ipsius est Principis, cum ei scilicet cum cęteris Principibus per Litteras aliquid agendum est; hic noster in utra magis valuerit, non facile dixeris. Nam sic cum Civibus, sic cum Provincialibus, sic cum exteris in ea scribendi ratione versatus est, ut qui quam benignissime. Continuo enim quicumque ad se adibant, qui suam operam poscebant, eo vultu, iis verbis accipiebat, ut nihil amicius, nihil humanius accipi posset; re vero postea ipsa & brevi & fideliter confecta, sic eos a se dimittebat, ut nihil benignius, nihil amicius dimitti posset. Ac quoniam non omnium hominum una, eademque ratio habenda est, sed quisque pro sua conditione est tractandus; hic noster in hoc Virorum delectu habendo mirum habuit artificium. Nam sive ignobiles ad hunc accessissent, sive splendido loco nati, sive pauperes, sive in re bene lauta positi, sive cogniti, sive minus noti, omnes pro conditione personæ mire amplectebatur, ac quasi speculum faciebat, cui quidquid objectum sit, quale id cumque est, tale referre solet. Qua una quo-

que

que ratione id illi eveniebat, ut inferioribus, paribus, potentioribus æque chariſſimus eſſet, omniumque laudem ſine invidia facile reperiret. Altera vero hujus officii pars erat, quam totam ad Principem pertinere dicebamus, cum is ſcilicet cum aliis Principibus per litteras agit. Hujus item duplex eſt ratio, altera in iis, quæ a Principe in totius rei materia quam pauciſſimis verbis dictantur, recte percipiendis; altera vero in iis ipſis poſtea & prudenter, & ornate conſcribendis. In quorum priore ſic Principi ſuo hic ſatisfaciebat, ut, cum adoleſcens erat, raro ullum hujus verbum, cum vero Vir factus eſt, nullum ab eo corrigeretur. In altera vero ſic excelluit, ut pares paucos, ſuperiorem certe habuerit neminem. Nam ſi ſcribendum erat ad Pontificem Maximum, ad Regem, ad Senatum aliquem, ad parem, ad inferiorem; continuo quod Princeps tribus illi verbis dictaſſet, id ipſe longiori oratione explicans, ſic ſtatim conſtituebat, ſic unumquodque ſuo loco collocabat, ut nihil aptius, nihil magis compoſite ſtrui, atque diſponi poſſet. Ea vero poſtea dictione illud ſcribebat hac noſtra, qua vulgo Italice loquimur, qua quis id optime facere didiciſſet. Ac, quod in primis providendum eſt, cujuſque perſonæ rationem diligentiſſimam adhibens, decorum ſuum attente conſervabat. Cum vero [quod ſæpius Principi accidere ſolet] ut de re eadem ad plures Litterę dandæ eſſent, quoties id huic noſtro uſu veniſſet, cave quicquam decima cæteris ſimilis eſſet Epiſtola. Una res erat, argumentum idem; ſic varia tamen ac multiplex & inſtituendi ratio, & explicandi locutio, ut nihil alia ab alia mutuata eſſe videretur. Mos item prudentum eſt Principum, qui ſua conſilia per ſuas Litteras deprehendi nolunt, ut quibuſdam ſuis certis notis loco Literarum poſitis utantur. Hic ita in iis, quibus utitur Princeps noſter, verſatus erat, ita in alienis minime rudis, ita in conficiendis novis aptus, ut facile omnes omnium Principum enodaret, ac ſine ulla difficultate percurreret. Quæ omnia Hercules Princeps facile animadvertens, ac optimi adoleſcentis ingenium, ac prudentiam ratus intra anguſtiſſimos ſcripturæ cancellos non eſſe amplius continendam, ſed alios fructus ex ejus ore, ac [quod dicunt] viva voce capi jam poſſe videret, primum huic fere omnes Italicas Legationes obeundas committit, Medio-

diolanum ad Hiſtonii Principem, ad Senatum mittitur; in Flaminiam ad Pontificios Præfectos quotidie; ſæpius Bononiam, Mantuam; Venetias non ſemel; poſtremo autem ad Regem etiam Cæſarem in Germaniam, quo tempore bellum illud adverſus Gallos gerebat difficillimum. Ex quibus omnibus Legationibus, feliciter rebus ſuis confectis, ad Principem ſuum ſemper rediit; ex qua quoque tanta hujus tum fide, tum prudentia mira omnium hominum conflata erat opinio, ut hunc, Princeps Hercules, cum uſus veniſſet, in eorum numerum, qui tibi ſunt a ſecretis, prorſus decerneres; idque jampridem, ſi videri poſſet, te apud animum tuum idem conſtituiſſe arbitrabantur; quam dignitatem cum aſſecutus eſſet, nihil ei poſtea, quod a te Principe ſuo habere poſſet, deſiderandum relinquebatur. Is enim ei ſupremus, ac maximus erat apud te locus, in quem eum etiam perveniſſe recte dici poteſt, quando ab omnibus eo dignus eſt judicatus, atque a te, Princeps, ſuo eo nomine in Legationibus ſit ſemper appellatus. Quo uno tanto Viro tam immature tibi erepto, ac quo tempore eo tibi magis opus eſſet, hoc loco tuo nomine dolendi finem nullum facio, quemadmodum in eo nullus tibi finis factus eſt jacturæ. Nam ut omnes tuos [quod cum eorum tamen bona gratia dictum volo] diligenter perluſtraris, cum Ferrinium alterum repereris, in eo ſecundum, & reliquos repereris. Sed quid ego dolorem tuum augeo? quid te acrius ſollicito? cur pectus tuum ſingulis verbis meis effodio? Quare tranſeo ad reliquas hujus cum corporis, tum animi virtutes egregias. Hic igitur forma fuit eximia, ore atque oculis [ut omnes noſtis] quibus ad ſe ſe amandum facile quemvis alliceret, vultu hilari, oratione ſuaviſſima, maximeque explicata, munditie, ac totius corporis actione feliciſſima. Quæ bona cum uſque eo bona ſint, quoad cum virtute conjuncta ſunt, ac ſæpius iis obeſſe ſoleant, quibus attributa ſunt, tantum abeſt, ut huic noſtro quicquam obſuerint, ut ſummam omnium illi admirationem conſtantiſſime conſervarint. Hic enim iis bonis ſemper ſic uſus eſt, ut nulla eorum vi ab honeſtate umquam, vel lato, quod ajunt, digito ſe abduci permiſerit. Putavit enim Vir ſanctiſſimus, nihil homini turpius, nihil tetrius accidere poſſe, quam quæ a Deo bona haberet, ea ſi ipſe iniquius coinquinaret, ac fœdius

dius conſpurcaret. In cibo, ac potu eam delectationem capiebat, quam qui optimo eſſet guſtu; utrumque tamen modeſte, atque adeo intra modum continuit. Ad corporis enim vires reficiendas, non ad immodicam ſatietatem, victum ſumendum eſſe arbitrabatur. Quid autem dicam de ejus fortitudine, qui eo ſemper vultu eſt viſus in adverſis, quo etiam in lætis, ac proſperis? Certe duodecim annos, quos egit cum uxore bene locuplete, fortiſſime egit. Siquidem cum ea interea numquam litigavit, verbum nullum commutavit; quod quam rarum, quam forte, quam omnes Herculis labores longe ſuperet, is facile judicabit, qui uxorem habuerit aliquando. Juſtitiam vero, idque jure optimo, omnium virtutum Reginam habuit, itaque etiam hanc unam maxime coluit, pro qua id ſibi prudenter confecerat, quod etiam crebro in ore habebat; amicitiæ unam juſtitiam ſanctiſſimas aras eſſe. Intemperans ſim, inquiebat, amici cauſſa, facillime ferri poteſt; timeam pro eodem; imprudentiæ etiam propter eumdem accuſer, nihil admodum laboro; ſi vero in parvam pro amico injuſtitiæ ſuſpicionem mihi incidendum ſit, ego tum facile in alia omnia. Poſſum ego vere teſtari, cum a quodam Primario Viro, cui præciſe negari non poterat, neſcio quid minus honeſtum rogaretur, ſic ei illum eſſe obſecutum, ut ejus ſcriptum [res enim ſcripto agebatur] pari ratione in utramque partem commodiſſime exponi poſſet. Quod ut Princeps Civis animadvertit, ſubridens inquit, ut, Ferrini, prudenter ſapis? cui ille paulo liberius: tu vero poſthac in petendo non ſolum tuam, ſed a quo etiam petas, rationem adhibebis diligentiorem. Hujus item virtutis eſt odia ſedare, lites componere, in priſtinam concordiam graviter inſenſos animos reſtituere, reconciliare. Cave, quemquam putes Ferrinio ad conciliandas hominum iratas mentes, ad diſcordias ſedandas aptiorem umquam fuiſſe. Continuo enim in hujus vultu illo lætiſſimo iratorum animi omnem injuriam, omne odium deponebant; ſi quid tamen paulo altius impreſſum reſediſſet, vix tertium hujus verbum expectabat, quin ſe ſe totum effunderet, liquefaceret. Juſtitiæ vero liberalitas conjuncta eſt. Quoniam autem hujus virtutis pars altera in officio verſatur, in hac parte [nam in large dando qui potuit, cui nullæ facultates adeſſent?] longe

omnes officiosos superavit. Hic scripto, hic præsens, hic in Urbe, hic foris omnibus præsto affuit, nulli umquam defuit; tametsi altera quoque liberalitatis parte non omnino caruit. Scio item ego, cum pro quodam suo, pro quo is fidem suam mercatori cuidam obstrinxerat, quinquaginta nummos aureos, idque ab uxore sua, dissolvisset, eos nunquam postea ab illo repoposcisse. Hujus autem prudentiam hoc loco pluribus non persequar. Id enim, Princeps, tibi satis habebis, quod in eo toties expertus es, qui ei res gravissimas quotidie commisisti, in quibus tibi prudentissime conficiendis tuam opinionem, suam etiam ætatem facile superabat; isti vero scire te ejus opera, studioque assidue usum esse, ac si diutius vixisset, diutius etiam esse usurum. Nam si hujus prudenter dicta, ac facta singula recenseam, tota hujus actæ vitæ ratio huc revocanda est. Nihil enim non summo consilio suscepit, nihil summa cum diligentia non tractavit, nihil cum maxima prudentia non confecit, absolvit. Tametsi id quoque non leve hujus testimonium vel omnis integritatis esse potest, quod ab eo Viro institutus sit, qui quamdiu vixit, ab omnibus optime audivit, mortuus autem quasi pro Deo colitur. Ex Pistophili enim ludo hunc exisse, ut dicebam, majus argumentum hujus prudentiæ prope nullum afferri potest. Siquidem tantum intersit, nisi etiam interdum multo magis, a quo quis institutus sit, quantum etiam a quo quis procreatus. Hunc is suscepit adolescentulum, aluit, instituit, hæredem moriens ex Bibliotheca sua scripsit, in qua omnia sua consilia sua manu reliquit conscripta, ut si nulla sua Ferrinius prudentia probatus sit, hoc tamen tanti Viri testimonio magnopere commendari necesse sit; cui testimonio sic hic tamen in dies magis respondebat, ut, utrum majus sit, quod acceperit, an quod reddiderit, recte dubitetur. Quanta vero laus in una amicitia ponenda sit, neminem arbitror nescire, qua una de Mundo sublata, ut totus Mundus tollatur, necesse est. Hac una Ferrinius noster cum domi, tum foris illustrium Virorum maxime floruit. In Urbe enim Primarios sibi omnibus benevolentiæ vinculis conjunxerat, Tassonios, Contrarios, Trotios, Bivilaquios, Calcagninios, Areostios, Mustios, Costabilios, Sacratios, cæterasque nobilissimas Familias; foris autem Cornelios, Pepulios, Malvetios, Rangonios, Turios, Martinengos, Viscontios, innumerabiles alias

totius

totius Italiæ, multis ac magnis officiis Urbanis adjunxerat amicitiis, quibus omnibus cum hic tam improviso nuntius afferetur, cum Ferrinium decessisse nunciabitur, Dii boni qui gemitus? quæ suspiria excitabuntur? qui ploratus? quæ lamenta? quæ in fata ipsa etiam aspera verba? Tu vero in primis, ubi ubi es, Victoria Collonia, quo numero, quibus versibus hujus interitum deplorabis, quo questu viduatam ejus uxorem lamentaberis? scio enim tibi statim totum statum tuum [si licet parva magnis interdum conferre] in mentem venturum, ejusque vulneris parem rationem vulnus tuum paulo acerbius refricaturam. Hæc omnia, Princeps, quæ de tanto Viro commemoravimus, sua quidem, eaque maxima commendatione digna sunt, quæque summis in Cœlum laudibus efferantur; verum illud, quod nunc dicam, hujus omnes, atque adeo cæterorum omnium hominum laudes facile superat. Multos quotidie, Princeps, eosque etiam cumulatissime, laudari audimus; semper aliquid tamen, atque etiam multum interdum in iis desiderari, semper aliquid excipi item audimus. Tam enim humana conditio ad perfectionem suam debilis atque manca est. Hic vero noster sine ulla virtutis exceptione, sine ulla controversia, omnium omnibus conjunctissimis sententiis in Cœlum fertur; nihil contra vel minimi vitii affertur, nullo turpitudinis nævo tanta sanctissimi Viri integritas aspersa est. Juvenes, senes, viri, fœminæ, pauperes, divites, Cives, peregrini æque hujus laudandi finem faciunt nullum. Quod vero ad literarum studia pertinet, hic in primis politioribus literis, quas humaniores appellant, delectabatur, in quorum omnium facultate cum admodum versaretur, Oratoribus tamen, ac Poetis diligentiorem operam dedit; in quorum alteris interdum etiam aliquid, neque fortasse ingrate, lusit. Valuit enim multum in Epigrammate, sed longe magis in Lyrico carmine præcelluit. In alteris id curæ adhibuit, ut linguam suam magis locupletiorem redderet, quam Latinam perdisceret, tametsi neque in ea prorsus, si quando usus ei veniret, scriberet impolite. Sed cum ejus studii facultas magis hoc dicendi genus, quod vulgare appellant, bene cultum postularet, in hoc uno longe studiosius habitavit, in quo etiam sive in pangendis versibus, sive in soluta Oratione conscribenda, egregie excelluit. Extant ejus complures

Hen-

Hendecasyllabi ad Francisci Petrarchæ rationem ea elegantia, atque dignitate conscripti, quæ a doctis iterum sæpius summa cum voluptate legi possint. In soluta vero Oratione præter infinitas, easque optime scriptas literas, legitur ejus Oratio de laudibus eloquentiæ & artificio, & doctrina minime vulgari; supplicem hujus item libellum ad te, Hercules Princeps, pro Bartholomæo Ambrosio legimus ipsi, ea copia, ea dignitate, eo splendore, ea denique arte conscriptum, qua nullum, audeo dicere, in eo genere umquam legisti, neque leges multos in annos. In Bibliotheca autem sibi constituenda, Dii boni! quid non impendit? cui umquam sumptui pepercit, cum liber aliquis nobilis editus esset? Omnium Librariorum Indices adibat, quos bono nomine in illis libros offendisset, ad Gregorium Gyraldium Apollinem suum Delphicum deferebat, ejus consilio postea aut eos emebat, aut rejiciebat; postremo etiam paucis antequam moritur diebus Galenum integrum Augustino, Aristotelique adjunxerat; quam Bibliothecam ea diligentia [ut elegantissimorum librorum conglutinationem omittam] eo studio, eo nitore custodiebat, qua se ipsum, qua os suum faciebat. Jam vero quod ad Religionem attinet, in qua una salus nostra continetur; cætera enim ad ornamenta ea quidem sunt recte constituta, hæc vero una ad perpetuam salutem comparata est; hic de Christo Optimo Maximo, ac de Christi ipsius sanctissimis Institutis integerrime sentiebat. Frequens erat in Hieronymo, frequentior in Augustino, Paulo autem mirum in modum afficiebatur. Tertio die, quo in morbum incidit, ex quo non convaluit, Mutinæ, quo te, Hercules, secutus erat, Sacerdotem postulat, huic de more sanctissime errata sua confitetur, pœnitentiam agit; domum autem relatus, suum item certum acciri jubet Sacerdotem, Confessionem illam renovat; sub quam Christi Corpus postulat, quibus sanctissime peractis, Deo gratias agit, quod sibi eo quoque tempore ad salutem non defuisset. Ingravescit in horam morbus; assidet Sacerdos sanctissimi Christi cruciatus humanos illi interea legens, quos sibi is eum passum esse sciebat; postremo cum prope animam ageret, ut se sanctissimo Oleo unctum sensit, Sacerdoti etiam gratias egit, qui sibi in omnibus, quæ ad Fidelem Christianum morientem pertinent, præsto affuisset, neque multo post me-

moritur; ut nulli dubium esse possit, qui ita in fine se cum Deo gessit, quin ita de eo, ut par Christiano fuit, semper judicarit. Quin & ex eo ipso sanctissimo discessu nulli dubitandum esse arbitror, quin tam religiosus animus, tamque pio Deorum cultu præditus, recta in Cœlum evolarit, ubi unus Cœlitum factus ea gloria perfruitur, qua quisque nostrum, qui Christum humani generis Servatorem fatemur, quique ejus sanctissimis mandatis fideliter obtemperamus, frui speramus. Fuit hic quidem dies, Princeps, tibi acerbus, hujus liberis, uxori, propinquis cæteris luctuosus, Civibus tristis, amicis omnibus gravis, sed ex iis, quæ ante diximus, ea fides omnibus fit, ut non solum hic ex jucundissima vita in aliquod malum ereptus, sed ex summis miseriis in summam gloriam sublatus esse videatur. Nam qui ita vixit, itaque moritur, cum Christo eum vixisse, atque nunc cum eodem beatius vivere, pro certo est affirmandum. Quare illi etiam magis gratulandum esse nunc censeo, quod is animus quasi ex suo exilio in Patriam revocatus sit, quod ex his tenebris in æternam, ac splendidissimam lucem exiverit, quod ex hoc carcere ad veram illam ac perpetuam gloriam evolarit, quamquicquam dolendum, quod, eo cadente, nobis multa, ac maxima commoda conciderint. Vim igitur dolori faciendum est, lacrymæ cohibendæ, fletus, questus, lamenta compescenda sunt, ne magis in erepto amico nostra commoda queri videamur, quam summa illi bonorum omnium accessione facta non magnopere lætari. Id quod, Princeps amplissime, ut ejus uxor, socer, socrus, propinqui reliqui, qui dolori longe propiores sunt, facilius præstare possint, in tua positum est manu. Id autem erit, si hujus liberos, illorum nepotes tua aliqua præsenti benignitate sublevari curabis. Duo mares sunt, fœminæ quatuor, septimus reliquus est, qui septimum mensem in matris utero misere agit; cui, cum in has tenebras [quid enim lucem dicam, cui omnis lux in Patre mortuo adempta est?] exibit, Bartholomæi Patris nomen posthumo paratum est. Sane misera liberorum manus, nisi in hac sua calamitate eo minus infelices liberi, quam eam ætatis beneficio nullam nunc sentiunt. Sed si a te destituantur, omnium futuri sunt miserrimi, cum natu grandiores in uno sanctissimo Parente suo cadente omnia sua bona con-

concidisse intelligent. Tametsi jure quodam optimo liberi ipsi quasi tecum agere posse videntur, ut fidem tuam, quam avo materno dedisti, sibi nunc eam tandem dissolvas. Tecum enim hi sic agunt. Scimus, Hercules Princeps, te facile recordari, cum avus noster Ferrinium tuum, postea Parentem nostrum, generum suum recusaret, propterea quod nulla illi res erat, nihil suum, in quo pedem ponere posset, habebat, quasi hoc, quod evenit miser senex misere divinans, te illi respondisse: *mihi ea est pro eo quoque quam amplissima*. Cui voci tum infelix avus filiam suam despondit. Quam tuam benignitatem Pater vivens, quæ summa ejus erat modestia, numquam a te postea repetivit, neque tu interea, nobilissimam fortasse occasionem aliquam expectans, quicquam in eum contulisti; nunc vero cum Pater decessit, hoc est [si quid tamen magis dici potest, quam Pater] cum omnis victus, educatio, honos, dignitas, bona omnia nobis adempta sint, isthanc eandem benignitatem tuam in hac tanta egestatis nostræ occasione omnibus lacrymis a te efflagitamus. Sub matre quidem, Princeps, sumus, quæ vere, si qua alia, mater est, sed adolescens mater est tamen, ac fœmina. Hæc si secundo nubat, quod ejus ætas nobis maxime minatur, victum nostrum, atque adeo vitam nostram vitrico dotem secum est allatura; nos vero nunc Patre optimo orbati, tum a matre etiam viva destituti, atque deserti, quo, Princeps, confugiemus? cujus opem implorabimus? quid miseris septem infantulis pueris faciendum erit? Ferrinii scilicet filii victum ostiatim quæremus? nihil tandem nobis a Patre relictum erit, nisi Ferreum nomen? nisi egestas? nisi rerum omnium indigentia? Tu solus, Princeps amplissime, nobis relictus es, in quo omnis spes nostra nitatur, cui uni confidamus, in cujus unius benignitate secure acquiescamus. Amici, paucis quibusdam exceptis, una cum ea utilitate, quam ex Parente vivo percipiebant, nobis interiere. Tu solus es, Princeps, qui non pro nobis rogare, sed qui jubere potes, ut nobis benignissime fiat. Jube igitur, Princeps amplissime, atque idem Christianissime, jube, aliquid nobis attribui, unde victum, unde vestitum certissimum sumamus, neque quo ad luxuriam abutamur, sed quo mares ad paterna studia, fœminæ ad legitimas nuptias minus misere traducamur. Hæc tecum, Princeps,

 mise-

miseri liberi tanto Patre orbati, a propinquis pœne nudi, a re certe pessime parati. Ego vero hæc etiam pauca. Nulla hæc tibi caussa sit, Princeps, quamobrem his miseris filiolis subvenias, numquam id dixeris, numquam promiseris, ea te tantum moveat causa, quod ejus hi filii sunt, quem ipse tantopere dilexisti, qui, quamdiu vixit, Parenti tuo partim, partim tibi ipsi fidelissime vixit, in quem ille sua morte occupatus, tu istius impeditus nullum separatim beneficium, cum maxima quotidie polliceremini, contulistis. Tu nunc, quod Ferrinio tuo, atque Parentis tui nomine debebas, ejus filiis dissolve, fidem utriusque vestrum libera, miseris subveni. Scio ego, te, Princeps, quæ tua est animi altitudo, in ista benigne faciendi ratione libentissime versari, cum tua sponte id facis, cum nullis officiis provocatus eam exerces. Isti tuo splendidissimo animo sine nunc accedant, Ferrinii fides erga te tot annorum integerrima, tot itinera summæ difficultatis plena, hoc etiam Mutinense, quod quamquam omnium facillimum esse debuit, huic tamen perniciosius accidere non poterat, cum in eo vitam amiserit. Da igitur utrique, & quod a te jure æquissimo expectamus, & tua benignitas a te postulat ipsa. Fac, Princeps amplissime, ut, quod miseri filii ætatis beneficio Parentem sibi ereptum esse non sentiunt, tua etiam benignitate in re eum sibi decessisse minime sentiant. Quod Pater a te expectabat, ejus filiis elargire; in hoc illis te Parentem præbe, in cujus ipsi officio tantum Parentem amiserunt. Hoc exemplo cæteros excita, qui hoc munus subeant alacrius; qui vero in pari versantur, hoc modo eos etiam studiosiores effice, cum, quod suis sperant, aliis benignius fieri videant. Ferrinio postremo hanc gratiam fac; illum hac summa quoque affice voluptate, qui, si quicquam, qui decessere, sentiunt ex iis, quæ apud nos geruntur, ubi senserit, filios suos quasi in filiorum locum a te esse susceptos, non quod hæc eam, qua apud Deum optimum fruitur maxima, lætitia superatura sit; certe ex isto tuo præclarissimo facto non minus capiet voluptatis, quam si in se ipsum, cum tecum viveret, hæc omnia, atque adeo multo plura, multoque majora contulisses. Dixi.

D. O. M.

D. O. M.

BARTHOLOMÆO FERRINIO HERC. II. FERRA-
RIÆ PRINCIPIS A SECRETIS, FIDE IN SUUM
PRINCIPEM SINGULARI, RELIGIONE IN
DEUM SANCTISSIMA, STUDIO IN A-
MICOS, HUMANITATE IN OM-
NES RARISSIMA, PARI ET
CORPORIS ET ORATIONIS
ELEGANTIA, TOTA
DENIQUE VITA
QUAM INTE-
GERRIME
PERAC-
TA.
OB QUAS VIRTUTES AB UNIVERSA
CIVITATE
NULLO FINE DEFLETO

JACOBUS SOCER, ANTONIA SOCRUS
UNA CUM MOESTISSIMA FILIA
EIUS UXORE CHARISSIMA
PONI CURARUNT.
VIXIT AUTEM ANNOS XXXVII.
OBIIT PRIDIE
NON. OCTOB. M. D. XLV.

BARTHOLOMÆI RICCII

O R A T I O,

Qua Principes Christianos hortatur ad arma summa animorum conjunctione in Turcarum Regem sumenda,

PIO V. PONTIFICI MAXIMO INSCRIPTA.

Bartholomæus Riccius

Pio V. Pontifici Maximo S. D.

Consilii sui rationem exponit, cur ei potissimum Orationem dicandam censuerit, qua Principes Christianos hortatur ad arma contra Turcarum Regem summa animorum consensione sumenda, Deumque orat, ut eum in custodia Gregis ejus curæ, ac vigilantiæ concrediti diutius conservet.

CUm viderem, Summe Pontifex, quanto furore, (quid enim dicam quanto apparatu?) Rex Thracum iterum in Christianam Rempublicam rabiose inferretur, qui vix a Melitensi obsidione discedens, in Pannoniam multo majores copias ad novum bellum inferendum trajiceret, atque Christianis unam tantum concordiam ad tantum hostem infringendum desiderari perspicerem, eorum Principes ad hanc unam in primis inter se conciliandam hac Oratione sum pie cohor-

tatus,

tatus, hoc est, ut quemadmodum jampridem Civilia arma deposuissent, ita etiam, si quid forte simultatis adhuc in eorum animis resideret, eo quoque prorsus omisso, vere, atque Christiane in istum crudelissimum, ac sempiternum hostem suum conspirarent; ad cujus sanctioris fœderis firmiorem rationem stabiliendam, ut ipse quoque fidem, atque auctoritatem Tuam interponeres, Te omnibus precibus rogabam, atque orabam; qua una postea animorum certissima consensione armati, nihil dubitandum erat, quin istum atrocissimum hostem etiam, quam est, duplo potentiorem, facile superarent. Hanc autem cum illis mittere cuperem, ratus sum multo majorem cum dignitatem, tum etiam auctoritatem apud eos habituram, si eam sub alicujus magni & Viri, & Principis nomine mitterem. Quam meam sententiam cum ego cum Hippolyto Atestio Cardinali Amplissimo communicarem, continuo ille, quæ sua summa in Te est observantia, quemque unice semper dilexit, ut sub Tuæ Sanctitatis nomine illam divulgarem, mihi proposuit. Quo fidelissimo, atque prudentissimo consilio comprobato, abjecta omni mea humilitate, atque cum tanti Principis amplitudine tuam humanitatem, quam quotidie, vel potius in dies singulos, in cujusque generis homines declarare non cessas, fideliter conjungens, hanc, ut vides, sub Tuo nomine publice descriptam edidi. Utinam vero Deus Opt. Max. faceret, ut, quo ego illam animo scripsi, eo quoque ab illis

acciperetur, atque in ea tanta vis esset, quanta ad tantam rem persuadendam opus esset. Sed vel nihil ea opus fuerit ad eorum integriorem concordiam conciliandam, vel sane jejune, atque exiliter, quod fortasse verius est, perorata sit; mihi tamen homini duo de octoginta annos nato satis esse poterit, me cum honestissima caussa, eaque Christianissima, animum habere conjunctissimum declarasse, quo Deum Opt. Max. rogo, ut Te, quem ipse solus Gregi suo Pastorem proxime delegit, ac quasi de Cœlo in summo ejus periculo demisit, diutius in illius custodia conservet. Interim Christiane, ut facis, vale.

Ferrariæ XV. Cal. Septembris MDLXVI.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

ORATIO

Ad Principes Christianos.

CUperem equidem, Cęsar invictissime, Reges, ac Principes amplissimi, ut hodie mihi apud vos tantum cum auctoritatis, tum etiam eloquentiæ daretur, quantum rei ipsius, de qua acturus sum, magnitudini, ac vestræ summæ conveniret amplitudini. Dicendum est enim de suscipiendo bello adversus Thracum Regem, atrocissimum Religionis nostræ hostem, idque apud eum Principum Senatum, cujus consilio, atque prudentia tota Resp. Christiana feliciter gubernatur, ad cujus rei gravitatem sustinendam Cæsare Imperatore, ad eam vero splendide perorandam Cicerone peropus esset Oratore. Sed nihil tamen vereor, quin pro vestra summa humanitate alterum ipsi meæ senectuti, atque huic canitiei sitis libenter condonaturi, qui non, ut vobis prudentissimis Principibus consilium darem, hanc provinciam suscepi, sed quia facile duxi, cum, quæ de me audiretis, omnibus notissima essent, ea item quasi ab omni Christianorum conventu audire putaretis; alterum ego, ut a meo dicendi veteri instituto obtineam, omni studio, atque diligentia contendam. Primum igitur, ut suo rem ordine persequar, unde tantum bellum ortum sit; deinde de ejus magnitudine, atque necessitate dicam; postremo vero ad concordiam inter vos conciliandam vos Christiane cohortabor. Ac quod ad caussam, ea quidem multiplex esse videtur. Aut enim iste bellum hoc movet, ut solus regnet; id quod etiam in propriis filiis declaravit, quos cum primum aliquod virtutis specimen dare vidisset, statim, ne sibi mortem regnandi caussa machinarentur, de medio tollendos nefarie curavit; aut nativo odio in nostram Religionem inflammatus, ut eam deleat, atque perdat, omni studio, atque contentione conatur. Sed neque ea quoque levissima caussa videri potest, quod cum superio-

ri anno magnam cladem apud Melitam Insulam a nostris accepisset, atque, si ab iis paulo fidentius actum esset, cum universis copiis classem CL. triremium, totidem navium cujusque generis cæterarum amisisset, ratus hoc modo eam probe ulcisci posse, si hoc sequenti anno tantas copias in Pannones armasset, ac quod ignominiæ a Melitensibus accepisset, id in Pannonum calamitatibus vindicasset, in hanc tantam belli molem exarsit. Certe, quam objicere possit, nulla a nostris lacessitus est injuria, nisi id injuriæ loco ducat, quod nostri universam ejus, ac bene magnam classem ad Melitam aufugere permiserint, aut quia Melitenses se se capi non siverint, neque ejus sævitiæ cruci suffigendos dediderint. Ut si quid in omnibus rebus caussæ honestas, ac ratio valeat, vobis in hoc bello, quod nulla vestra caussa conflatur, sed tantum hostis sive avaritia, sive superbia, sive in Deum nostrum rabie infertur, plurimum sperandum sit. Nam si Deus innocentes adversus impios, atque omnis sceleris affines tueri solet, neque sui contemptum, atque probrosam injuriam diu inultam auferri permittit, utraque de caussa, hoc est, & vestra innocentia, & Dei veri in suam Religionem auxilio hostem vicistis, atque fudistis. Hæc vero sunt, quæ ad caussam spectant. Jam de genere belli dicendum est. Hoc quidem maximum est, maximeque periculosum. Nam, quæ inter vos olim magno cum vestro detrimento, atque summo cum dedecore in Gallia, in Germania, in Italia sæpius gesta sunt bella, ea quidem minime parva, neque sine summa crudelitate, ut quæ Christiano utrinque sanguine semper exundarint, præ hoc uno levissimæ, atque mitissimæ pugnæ, ac quasi præliorum simulachra videri possunt. Siquidem in hoc eum hostem habetis, qui potentia, atque omni bellico apparatu cæteros Reges, Principes, ac populos terra, marique longe superat; qui equites ad CCC. millia, pedites sine numero uno tantum nuntio, atque una literarum significatione ex suis Regnis in aciem cogit. Si vero res mari gerenda sit, classem CC. triremium, navium præterea innumerabilium educit optime instructam, atque exornatam. Ærarium vero, quod belli nervum appellant, quam Reges cæteri simul una, auro multo habet refertius. Huc accedit, quod in re gerenda principatum tenet, qui solus est in deliberando,

atque

atque imperando, quique, quod semel decreverit, id pro effecto velit. Neque enim hic aut secum discordat, aut ad cujusquam alterius sententiam suam commutat sententiam; multoque minus veretur, ne a sociis in medio conflictu destituatur, atque jam parta victoria hostibus scelerate prodatur, ac manifeste offeratur. Quæ omnia cum per se [ut videtis] sint maxima, ac quibus nulla res tam difficilis occurrere possit, quin facillima fiat; una tamen fortuna, quæ in omnibus rebus, præsertim in bellicis maxime, dominatur, ita cum hujus potentia conjuncta est, itaque huic studet, atque obtemperat, ut quasi ea quoque illi parere videatur. Scitur enim, atque nostro magno cum omnium dolore scitur, istum nullum fere bellum suscepisse, quod etiam feliciter, atque, ut secum animo constituerat, cum summa gloria non confecerit; ut etiam si forte aliquando hæc illi non arriserit, victoriamque in manus non tradiderit, non ita tamen eum afflictum destituerit, ut paulo post in pugnam redire, novumque bellum comparare non ausus sit, sicuti nunc vobiscum agit, quos ab afflicta superioris anni ad Melitam fortuna, multo etiam paratior adoriri minatur. Quibus duabus rebus jampridem veteri Imperio prope totam Asiam, Africæ vero, atque Europæ non parvam partem adjunxit. Quibus autem non imperat, ab iis annuum tributum exigit; ut quos suo nomine [quid enim amplius, aut gravius dici potest?] ab omnibus omnium injuriis tutos, atque illæsos conservet. Quæ omnia, quantum hoc bellum futurum sit, facile declarant, ut quod a potentissimo Rege, aut gloriæ cupiditate allecto, aut habendi aviditate tracto, aut delendæ maculæ, quam ad Melitam acceperat, flagranti desiderio, vel simul ab omnibus cum ea, quam diximus, fortunæ felicitate totum proficiscitur. Hæc vero de magnitudine belli. Nunc de necessitate pauca dicam. Hujus autem duplex genus est. Alterum eorum, quæ aliter fieri non possunt, ut qui semel natus sit, is aliquando, ut moriatur, necesse est; alterum, cum res ita urget, ut parum a necessitate distare videatur, ut in hoc, de quo agitur, bello. Nam cum duobus modis bellum geratur; alterum, cum ipsi inferimus; alterum, cum nobis infertur; inferamus, nec ne, in nostra manu positum est; quod autem infertur, non ita. Aut enim id suscipiendum est, aut hosti

hosti nos, nostraque sunt dedenda. Quoniam vero omnibus persuasum est, vos vestra Regna nulli esse tradituros, necessario sequitur, ut pro iis retinendis adversus eum, qui illa vobis auferre conatur, arma capiatis, atque simul una viriliter defendatis. Cui vestræ privatæ necessitati id quoque publicæ necessitatis accedit, quod ex hoc ipso bello universæ Christianæ Reipub. maximum imminet exitium. Pannonia enim superata, in Germaniam, inde in Italiam, in Galliam, atque in totam Europam patentissimum hostis habebit aditum, qui omnia barbarica, ac plus, quam Thracica, sævitia consumens villas amœnissimas, Urbes Regias, atque in iis Templa Deorum immortalium igni, ferroque devastabit. Quibus externorum bonorum ruinis, atque internecionibus id, quod omnium maximum est, maximeque impium, accedit, quod veri Dei cultus, atque Religio prope tota est interitura; cum hæc hodie inter suos parum constet, atque in dies magis corruere videatur, ut in qua jam quisque ad sui animi sententiam sentiat, & agat. Quid autem sperandum, si cum indulgentissima vivendi ratione summa sit hostis conjuncta potentia? Videre videor [quod Deus ipse avertat] continuo omnes ad præsentem statum suas actiones conversuros, nihil de se post mortem credituros, atque curaturos; quo uno sublato, universa quoque vivendi sanctior ratio sublata est. Dei, Christi nulla Fides relinquetur; omnia in Thracicam luxuriam transferentur; ut undique cum magnum, tum etiam multiplici periculo bellum hoc maxime necessarium sit, cuique a vobis fortiter occurratur. Quod bellum etsi adversus eum hostem sitis gesturi, cui cum ab omnibus rebus [quod sæpius cum meo summo dolore dico] tum a fortuna ipsa omnia suppetant; non is tamen ita magnus, itaque fortunatus est, quin a vobis reprimi, atque etiam superari possit. Nam si utriusque vires conferantur, vestræ quidem, si ex æqua portione cogantur, multis partibus sunt majores. Ille equorum celeritate præstat; vos in statariis equis firmiores pugnatis. Ille ex peditatu majorem partem in operis, quam in pugnis exercendis, habet conductam; vos omnem vestrum ad pugnandum selectum, ac factum. Ille, qui temere, atque nullo militari ordine in pugnam irruant; vos, qui & usu, & scientia decertent, milites habetis peritiores.

Ille

Ille in vos, atque in vestram Religionem summo nativo odio incensus infertur; vos contra cum natura ipsa, tum quotidianis, ac maximis injuriis affecti multo in illum ardentiores occurretis. Hoc vero vobis etiam amplius, quod iste domum usque ad vos lacessendos quotidie insolentius accurrit; in quo præter bestiarum, ac hominum ingentem prædam avectam, turpissima Christiano nomini inuritur macula. Si vero arma spectentur, quid sagittarii cum tormentariis, præsertim illis, quos Ferrajolos appellatis? Quid item nudus cum optime loricatis? Tormentorum autem ut vestrum est inventum, ita etiam iis melius, quam cæteræ gentes uti didicistis. Quibus omnibus rebus constat, magis isti a vobis, quam ab hoc vobis esse metuendum. Quod vero ad ejus perpetuam fortunæ felicitatem attinet, non hac ita quoque formidandus est, ut continuo abjectis armis illi absenti vos, vestraque dedatis, atque ad eum domum usque ad durissimas conditiones accipiendas Legatos suppliciter mittatis. Nam, si hæc suæ inconstantis naturæ prorsus oblivisci nolit, neque in uno statu perpetuo permansura sit, jam non longius abesse potest, cum ab hoc se se avertat, atque reflare acrius incipiat; cujus rei proxime ad Melitam non parvum signum dedisse videtur. Quin etiam quanto felicior, atque diuturnior in hoc extitit extollendo, tanto in hoc eodem inferius deprimendo, ut contendat, par sequitur ratio. Tametsi isti quoque potentissimæ adversariæ a prudentissimis Viris suo judicio sæpius occursum esse, in omnibus Historiis legitur. Non enim semper, quod alteri feliciter succedit, magis ejus fortunæ, quam alienæ imprudentiæ, attribuendum est, id quod in vobis admitti non potest, qui & videndo plurimum, & experiundo non minimum profecistis. Continuo enim ne tumultus in vestro exercitu excitetur, ut nationes amice inter se conveniant, atque ut sua certa militibus stipendia dissolvantur, resque omnes, quæ ad victum, atque ad reliquum militiæ usum necessariæ sunt, suppeditentur, optime curabitis. In locis vero sive ad castrorum positionem deligendis, sive ad signa ipsa conferenda, ut qui domi vestræ rem geritis, quæ vobis æqua, quæ hosti iniqua sint, commode capietis. Qua item ratione agmen ducatur, quaque acies instruatur; qui in primo loco, qui in medio, qui in postremo collocentur; utrum una tantum acie, an multis pugnan-

dum ſit, prudenter animadvertetis. Ubi tormenta ſive majora, ſive minora apte collocentur, non ignorabitis. Quibus dolis hoſtis ſit fallendus; quando feſſis recentiores ſint ſummittendi, ac quouſque hoſtem fugientem inſectandum, quando receptui canendum, & cætera multa, quæ, ne vobis alter Phormio videri poſſim, ſummæ veſtræ in re militari ſcientiæ, atque exercitationi relinquo, atque ad eam animorum veſtrorum conſenſionem, quæ tertio in loco a nobis initio propoſita fuerat, pertractandam, atque, quanta ejus vis ſit, explicandum redeo. Continuo igitur id ab omnibus omnium ætatum in tritam ſententiam uſurpatum, atque comprobatum eſt, res parvas concordia maxime creſcere, maximas vero diſcordia dilabi, atque ad nihilum redigi; ut quotidie cum in re privata, tum in publica adminiſtranda cernitur. Quare fit, ut ubi quis ſolus rem gerat, modo is ejus ſcientiam optimam habeat, eam tenuiſſimam ad omnem cumulum adaugeat; contra vero, ubi plures adminiſtrent, quorum ſententiæ non conveniant, eam quam maximam diſſipent, atque diſperdant. Itaque Reſpublicæ, quoad earum Principes inter ſe congruunt, atque in unam ſententiam conveniunt, non ſolum in Imperio feliciter permanent, ſed cæteris etiam perpetuo imperant; ubi vero inter eos diſſenſio exorta eſt, brevi ad interitum corruunt. Quam vim prudentiſſimus ille pater in virgarum faſciculo ſuis filiis demonſtravit, quas ſimul una arte colligatas nullus eorum omni conatu infringere, ſingulas autem quiſque facillime potuit. Utinam autem hoc ipſum cum Reip. Chriſtianæ ſumma calamitate ejus Principum diſſenſio ante ſemper teſtata non eſſet, atque etiam longius teſtari non pergeret, qui cum numquam adverſus Thracum iſtum Regem ſuum atrociſſimum hoſtem vere inter ſe conveniſſent, de ea tanta terra, marique diminutio facta eſt, ut pudeat recenſere; quem non propriæ vires, aut bellica virtus, ſed noſtra diſcordia potentiſſimum, atque victorem ſemper reddidit. Ignoſcite, Principes Chriſtiani, ſi paulo liberius nunc vobiſcum agam. Res enim tam manifeſta eſt, ut diſſimulari, tamque iniqua, ut non accuſari, niſi improbe, non queat. Vos, vos, inquam, ſoli iſtius belli cauſſa eſtis, qui hoſtem veſtrum veſtris diſcordiis non ſolum vobis ad bellum inferendum invitatis;

ſed

ſed etiam cogitis. A vobis, inquam, quicquid ab iſto Reip. Chriſtianæ indignæ calamitatis accidit, quicquid ſervitutis, quicquid incendii, rapinæ, cædis, omne proficiſcitur; qui ſi, ut nomine conjuncti eſtis Chriſtiano, ita animis in Chriſtianam ſalutem conſentiretis, iſte non ſolum veſtros fines numquam attigiſſet; ſed neque intra ſuos ſe tutum, atque ſecurum crediḍiſſet. Scitis enim quam impie ſuperioribus annis uſque ad Romæ [ne quid altius repetam a Neapolitanis, atque Inſubribus bellis] nefariam ſpoliationem ſæviſtis, in qua omnia ſacra, profana æque diripuiſtis, atque vexaſtis; ſacris virginibus vim attuliſtis; ſummum Pontificem obſeſſum ſummo pretio redimi juſſiſtis; proxime vero in Hetruria omnia ſubvertiſtis; In Germania in Carolum V. Imperatorem tanta, tamque iniqua facta eſt conjuratio, ut parum abſuerit, quin ſæpius caperetur. De Gallia quid aliud dicam, quam quod hoc etiam tempore miſera ex ſuperioribus perpetui belli incendiis deflet, atque lamentatur. Thraces interim, occaſione arrepta, hoc anno hanc continentis partem bene magnam, atque frugiferam, alio locupletiſſimam Inſulam, alias utrumque a vobis inter vos pugnantibus auferre non ceſſat; ut jam eo ventum ſit, ubi de ſumma rei dimicetur. Quare vobis fraterne providendum eſt, ne iſte ſemper veſtra diſcordia, veſtris ſimultatibus, veſtris inteſtinis odiis magis, quam propriis viribus, armatus vos opprimat, atque iſto veſtro potentiſſimo præſidio fultus, hunc hodie, cras illum, alius alium de nobiliſſimo, atque Majorum ſuorum Imperio dejiciat, atque excludat. Id quod nunc eo quoque multo facilius facietis, ut qui jam ſextum annum in ſummo otio, atque concordia tranquilliſſime agitis. Conſiderate, vos rogo, diligenter, quæ veſtra nunc conditio ſit, quæque tum eſſet, ſi [quod Deus avertat] id accidat, ut ex ſummo felicitatis ſtatu ad miſeram, atque infimæ vitæ conditionem delabamini; ſi a Regiis veſtris commodis, atque veteri imperandi auctoritate ad omnem egeſtatem, atque ad parendum dejiciamini. Ego veſtra cauſſa hanc calamitatem reputans totus contremiſco, neque dubito, quin vos, quorum res agitur propria, acrius commoveamini. Huic igitur viribus veſtris hoc modo multo majoribus obviam ite; ſummæ vero fo-

tu-

tunæ vestra summa prudentia occurrite. Coite animis, dum vobis integrum est, neque rem in illud tempus differte, quo vos magis istius dissidii sit pœnitendum, quam cum ad vestris opitulandum, quæ facultas detur, conquirendum atque conquerendum; vosque eo fœdere simul una conjungite, quod nulla Regni cupiditas, nulla veteris odii memoria, nulla hostis potens solicitatio, atque corruptio quicquam violare possit. Quin, uti plerique vestrum post naturales propinquitates, arctissimis etiam affinitatibus conjuncti estis, ita etiam paribus animorum conjunctionibus, ac quanto corpore nobilior est animus, tanto ejus etiam sanctioribus vinculis devincimini; qui vero superioris generis nullo nodo continentur, certe in una Christi Religione, in una ejus Dei Filii confessione, ceremoniis, atque vivendi communibus institutis, ac legibus vobiscum sunt conjunctissimi. Quare omnes in hanc sanctissimam, maximeque necessariam consensionem convenire debetis, in qua cum vestra omnium simul vestrorum, atque totius Reip. Christianæ salus continetur. Ego, optimi, ac fortissimi Principes, existimo, si umquam alias hæc vestra animorum concordia, atque virium conjunctio Reip. Christianæ opem afferre potuit, eam hoc tempore omnium maximam illi afferre posse, quo hostis, si non omnes copias, certe majorem, ac meliorem partem in certissimum periculum adducit. Hoc enim nunc prorsus devicto, aut triumphum de illo ducetis, aut assiduis istius incursionibus, atque altero quoque anno teterrimo bello, quod miserrimum est, vos, vestrosque populos feliciter liberabitis. Quibus, si ii estis, qui semper honoris, & gloriæ cupidi fuistis, ubi eam illustriorem, quam in hoc tanto hoste superato assequi possitis, nulla amplior, atque certior facultas dari potuit. Quin ingenti gloriæ ingentes etiam copiæ accedunt. Statim enim Christianis Urbibus receptis, alienas, hoc est, quas longissimo usu hostis suas sibi fecit, si non capietis, certe feracissimos eorum agros depopulabimini, ac prædas ingentes domum reportabitis. Quanta autem hujusce animorum consensionis virtus sit, quantumque valeat, bis nostra memoria [ne rem altius repetam] experti estis; semel, quo tempore istum ipsum in Præusæ [ut dicunt] portu conclusistis: quam reliquam victoriam, quoniam non vere coiveratis, cum summa vestra amisistis ignominia; iterum cum ad Me-

Melitam fractum, vestra item [ne quid gravius dicam] desidia, vel remulco triremes remigibus, atque defensoribus nudas trahentem, atque ex ornatissima vestra classe spectantes, aufugere permisistis. Coite tandem ex toto animo, atque ita, ut iste captus nullo vestro in vestros dolo, nulla vestra negligentia e manibus vestris elabatur. Induite hanc fortissimam armaturam, vel potius hosti vestro eripite, quam nulla ferri acies, nullus acutissimus mucro, nulla vis tormentaria quicquam labefactabit. Alter alteri concordes adsitis, atque simul animis arctius conjuncti omnes hostem invadite, & captum postea retinete. Sit satis a Majoribus vestris odiis intestinis decertatum, satis universa Europa sanguine Christiano inundarit; satis Tyrannus iste vestris discordiis exultarit. Mirum est, Principes Christiani, quod in hanc sententiam brevi dicam. Familiares rustici canes domi inter se ob rem cibariam dentibus dilacerantur; si vero interea alienum in aream ingredientem aspiciunt, continuo, relictis cibariis, ad eum omnes facto impetu discerptum accurrunt, atque illum rabiosis morsibus a suis Laribus expellunt. Et vos, quibus ratio a natura, & a Deo Optimo ad cæteros gubernandos prudentia data est, canibus imprudentiores eritis, qui quem videatis in vestrum Regnum hostem armatum ingredientem vobiscum ob rem levissimam pugnantes, ea saltem in hoc tempus seposita, unanimes in illum non irruetis? ac statim hunc a vestris fortunis non procul repelletis? eos dentes, quos in vos rabiose exercetis, in sceleratissimum hostem non acuetis? non eum mordicus, cum arma desint, dilaniabitis? non usquequaque a vestris finibus arcebitis? Verum si hoc a canibus sumere vos pudet, hoc ipsum a prudentissimis Viris, Aristide, & Themistocle honestius sumere licebit. Nam cum ambo a sua Republ. legarentur, cum ex Urbis porta exirent, Themistocli, inquit, Aristides; *hic, Themistocles, omnes nostras simultates*, [magnæ enim ab usque adolescentia inter eos inimicitiæ intercedebant] *deponere possumus, ut Reipub. nostræ fideliorem operam navemus; eas redeuntes, si videbitur, resumemus*. Id quod Themistocles comprobavit, atque ita Legationem suam, ut volebant, absolverunt. Hi vero, quod uni parvæ suæ Reipub. dedere, vos primum vestris latissimis, atque nobilissimis Regnis, deinde

uni-

universæ Christianæ Religioni dare negabitis? quod illi pro libertate tantum fecere, vos pro vestra, atque vestrorum omnium salute, atque incolumitate non facietis? vos, inquam, non tanto ardentius in hanc caussam, quo ea major, atque nobilior est, incumbetis? vos dolo, vos viribus, ingenio, loco, quaque ratione possitis, teterrimum istum Deorum, atque hominum hostem, monstrum horrendum, pestem jam nimis late serpentem superare, atque exterminare non contendetis? hanc unam virtutem, in qua certissima vestra victoria, atque gloria constat, non amplexabimini? non in hanc unam omne vestrum studium, omnes vestros conatus, atque nervos conferetis? Nolite, quæso, tam imprudentes esse, ut non videatis, quæ medio die clariora sunt, aut tam obstinato animo agere, ut crudele exitium rei Christianæ, atque vestris Regnis vestra afferatis discordia. Ultarum injuriarum, Princeps amplissime, quanta sit voluptas, arbitror neminem latere. Hæc etsi inter vos ulciscendi ratio nulla Divina Lege conceditur, ut qui fratri nostro omnes injurias condonare jubeamur, in Thraces tamen, atque aliena Lege a Christiana agentes hostes non solum datur, sed valde etiam commendatur. In hanc quoque præter summam gloriam, atque ingentes opes, ut conveniatis, si Viri estis, necesse est. Nam, si hanc vindictam contra Dei mandatum inter vos severe exercetis, quanto ardentius in publicum istum Archipiratam, qui totam ætatem suam quam longissime in hominibus vestris terra, marique cum cædendis, tum cum suis fortunis in durissimam servitutem rapiendis versatus est, exercere debetis? Hæc magis, isto devicto, atque ad interitum ulto, animos vestros, quam ipsius victoriæ gloria, afficiet, atque majori lætitia complebit. Gravissimis istius, atque diuturnis injuriis a quibusdam etiam, atque adeo a vestris olim, multo acerbiores accedunt injuriæ, qui ut licentiosius agerent, atque ad omnem appetitus titillationem vitam more belluarum traducerent, a vestra sanctiori Religione ad hostis immanissimi ceremonias vanissimas, a nostro vero Deo, Dei vero Filio, ad iniquissimum Sardanapalum colendum transfugere. Hi quoque aut in vestra victoria erunt graviter puniendi, aut [quod magis placet] in viam revocandi, erroremque suum Christiane edocendi. Quanta ea quoque erit voluptas, quam capietis

tis ex iis, qui apud hostes durissimam serviunt servitutem, in suam pristinam libertatem per vos vindicatis, fuisque restitutis? Quod quidem tam Regium est, quam etiam vitam dare. Magnum quidem vestrum nomen est, Principes Christiani, cum principatus dignitate, quo cæteris antecellitis, atque imperatis, tum etiam cognomento Christiano, cui nullum par gens ulla in terris assequi potest. In dignitate quidem, hoc est, in regendis atque vestris populis a vobis nihil desideratur, ut qui malos supplicio, bonos vestra gratia afficiatis; in cognomento vero hoc unum tantum deesse videtur, ut amice, atque Christiane inter vos conveniatis, atque agatis. Probe enim scitis, Christum, unde vos Christiani dicti estis, cum ad Patrem in Cœlum ascenderet, suis in primis pacem, atque, ut mutuo inter se diligerent, reliquisse, simulque in omnibus difficultatibus, ut alius alii præsto adesset, eumque onere levaret, odiique, atque belli loco charitatem reponeret, mandasse. Quare cum nomine Principes Christianos profiteamini, re ipsa quoque, ut idem præstetis, necesse est, si Deo, ut ex suis, probari velitis. Efficite tandem, nobilissimi, atque Christianissimi Principes, ut hic dies vestris Civilibus odiis perpetuum finem, integerrimis autem reconciliationibus sanctissimum initium afferat. Hoc a vobis populi vestri, quibus ut parentes omnia debetis, exposcunt; hoc filii ipsi, quibus principatum estis ex ordine traditui, jure postulant æquissimo; hoc boni omnes, pueri, senes, viri, mulieres rogant, atque omnibus precibus orant; hoc universa gens Christiana, Sacerdotes cujusque ordinis, cujusque generis obsecrant, atque obtestantur; Christus denique ipse, qui vos primum suo sanguine per summum probrum, atque acerbissimos cruciatus ab hoste sempiterno liberavit, deinde in isto principatus altissimi gradu collocavit, omnes injurias vestras ut sibi condonetis, earum largissimam remunerationem ab eo expectantes, benignissime commonefacit. Nollem postremo, Principes amplissimi, hoc dicere, ne magis hostis ipsius æmulatione, quam vestra virtute, vos in hoc bellum cohortari viderer; sed non possum hoc quoque omnibus maxime notum præterire. Probe scitis, ut iste pro falsissima sua Religione, pro illo suo venefico, atque impostore vaferrimo Mahumeto ardenter pugnet, atque uti

ſuis hunc unice extollendum, proque ejus honore, ut vitam ipſam profundant, imperet; idque eos tam integre præſtare, ut pro illo turmatim in certiſſimam mortem irruant. Vos vero pro veſtro, quem omnes, qui Divino ſpiritu ventura prædixerunt, Jeſum Dei veri verum Filium teſtati ſunt, quem tota ejus vita divina confirmat, quem res ſupra omnem naturam ab eo non ſemel repetitæ comprobant, qui poſt aſcenſum ad Patrem ſuum multo etiam majora in ſuis idiotis, atque infimæ conditionis hominibus fecit, Vos, inquam, pro hoc non in unum convenietis ad ejus cultum conſervandum, atque tuendum? non pro illo non dico fortunas veſtras, Regna, ſalutem ipſam vel morti ipſi non objicietis? cui tantum debetis, ut cum omnem illi gratiam retuleritis, ea ſemper tamen apud vos integra ſit permanſura? non veſtra, inquam, odia, veſtras ſimultates ſeponetis? non ſimul fraterne convenietis, ut multi numero una ſitis ſententia, atque animo? In iſtum, in iſtum quantum, quantum veteris in veſtris animis reſidet odii, convertite, veſtras univerſas injurias in iſto uno diſcerpto ulciſcimini. In hac ſanctiſſima ira Chriſtum ipſum imitamini, qui Patris ſui Templi contaminatores loris invaſit, atque illos ex eo præcipites exturbavit. Vos ita iſtum Chriſti ipſius Religionis contemptorem, atque everſorem omni genere armorum ſimul una in ipſum Chriſtum Chriſtiane conſpirantes de Regno, atque de vita dejicite. Incumbite in hanc quoque Chriſti noſtri defenſionem, atque in eam tanto ardentius, quanto ea eſt omnibus Regnis ſine comparatione anteponenda. In qua neque ipſe Deus vobis deerit, cauſſamque ſuam deferet: quo uno adjutore omnes potentiſſimos Pharaones eſtis facile ſuperaturi. Tuque, Pater ſanctiſſime, [tecum enim nunc ago, ubi ubi ſis] Pie Quinte, quem Deus ad hanc tantam Eccleſiæ ſuæ gloriam proxime delegit, ac prope de ſuo Cœlo demiſit, per iſtum, in quo Dei ipſius Vicarius es conſtitutus, locum, rogo, atque oro, ut tuam iſtis fidem interponas, atque illis quaſi obſidis loco des, ſi quis forte parum ſocio fidat, unumquemque in fide ſua integre permanſurum, potius Regnum, atque vitam ipſam deſerturum, quam eam integerrime non eſſe præſtaturum, neque quicquam in privatum commodum, ſed omnia in communem utilitatem collaturum. Qui vero

ſecus

secus fecerit, is aqua statim, atque igni interdictus esto; deinde hostis declarator; ejus bona publicantor; ad suos Thraces exterminator. Nam cum ita primum volentes in unam sententiam sua voluntate animos suos obstrinxerint; hoc deinde metu liberi securius in officio suo permanebunt. Ne gregem tuum, Pastor sanctissime, deseras, omni custodia illum ab isto impio lupo communias, atque tueare. Satis enim superque barbari enses sanguinem Christianum imbiberint; satis ejus servitutis crudelissimum jugum tui perpessi sint; satis in Christianam Religionem Thracica superbia impune grassata sit. Ac, ne quid omittam, quod ad rem pertinere videatur, atque illud ipsum, quod omnium est maximum, ac quo solo omnia recte confici possunt, Te, summe Deus, in cujus nutu omnia posita sunt, rogo, atque oro, ut non nostra mortalium scelera, non nostram indignitatem respicias; quibus jampridem, ut qui nascentes peccatum nobiscum afferimus, omnes ad unum a te longissime abalienati sumus, sed ut innocentiam tuam recorderis, qua nos per summos cruciatus, summumque opprobrium semel ab æternis pœnis liberasti, nos illos ipsos perditissimos a præsenti Lucifero tuearis, ac prope ex ejus faucibus eripias, ac si nostra caussa id facere negas, id tibi saltem ne nega, qui nos affligens, hosti tuo crudelissimo, qui te ore, corde negans, re ipsa interficit, nihil gratius facere potes. Nos quidem a perturbationibus transversi agimur, verum ut ab iis in meliorem sensum redivimus, tibi toto corde credimus, te pleno ore fatemur, te sancte colimus, tibi omnia tua ut omnium optimo damus artifici. Effice, summe Deus, ne semper ab isto insolentissimo, atque superbissimo hoste illud verbum nobis calamitosum, tuæ vero magnitudini indignissimum, audiamus. *Dicite tandem, Christiani, ubi est vester Deus?* Quin effice, ut contra ipsi aliquando audacter respondeamus. *Deus noster, Deus est exercituum, qui superbos hostes suos de Regno dejicit, atque retundit*. Id, quod per vos, si in hanc Christianam concordiam Christiane coibitis, efficiet.

BARTHOLOMÆI RICCII

IN FRANCISCI REGIS GALLIÆ FUNERE

ORATIO

In iis Inferiis, quas Hippolytus Ateſtius Cardinalis illi Ferrariæ perſolvit, habita,

Ad Renatam Ferrarienſium Principem.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Renatæ Principi Ferrariæ S. D.

Sub ejus nomine Orationem in vulgus exeuntem de laudibus Franciſci Regis Galliæ Sororis Viri recitatam in iis Inferiis, quas Hippolytus Ateſtius Cardinalis illi Ferrariæ perſolvi juſſerat, tamquam conſolationem offert.

FEci Orationem de laudibus Franciſci Regis Galliæ Sororis tuæ Viri, quæ habita eſt in iis Inferiis, quas Hippolytus Ateſtius Cardinalis illi Ferrariæ perſolvi juſſit. Sed quid ego me illam feciſſe dixi? immo verius, ut veteres rectius loquebantur, eam faciebam. Nam ad illam integram & majori volumine opus erat, & quod in funere fieri ſolet, tempore, & multo longiori; quo impedimento & multæ a me ex ejus laudibus omiſſæ ſunt, & quas attigi, ſuo ornatu non ſatis ſunt conſcriptæ. Hanc tamen (utcumque eſſet) cum ii, qui Regium funus curarunt, in Galliam Car-

Cardinali Hippolyto mittere vellent, atque eo modo mittere, ut suum studium, suamque diligentiam inde quoque illi maxime probarent, rati sunt id eo modo assequi posse, si publica descriptione, quemadmodum vides, eam mitterent scriptam. Quod cum neque ipse illis gravate concederem, continuo, ut dicunt, excussa est. Sed cum ego viderem quo ipsa quoque luctu, ac mœrore tantum Regem prosequereris, tametsi multo ante cum literis, tum & nuntiis tuis de isto ipso tuo squalore in Gallia auditum esse scirem, putavi tamen tibi minime ingratum accidere, si hæc mea Oratio non sine aliqua tui mentione & illuc perferretur, & ubique legeretur. Itaque volui, ut sub tua nomine in vulgum exiret. Hanc igitur habe, atque cum cæteris ut Orationem si minus justam, separatim saltem ut consolationem fortasse non ingratam lege. Nam in Regis laudibus mecum recensendis illud solatium capies, quod si tibi dolorem istum tuum universum exhaurire non possit, certe eum magna ex parte sit tamen levaturum. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII
LUGIENSIS
In Francisci Regis Galliæ Funere
ORATIO

CRedo ego, plerosque vestrum, Viri honestissimi, non parum mirari, cum Ferrariæ tantum funus, tamque subito, salvis præsertim Principibus nostris, duci videatis: ne miremini. Francisci Galliarum Regis Christianissimi caussa quidquid hic meroris, quidquid luctus cernitis, comparatum est. Nam cum Hippolytus Atestius Cardinalis amplissimus ab hoc Christianissimo Rege multis, ac maximis Sacerdotiis auctus, in eamque familiaritatem receptus esset, ut etiam in consilium de rebus maximis adhiberetur., cum sempiterna tanti, ac de se optime meriti Regis memoria, continuo illum mortuum hoc magnifico funere, his Regiis Inferiis, hac tanta pietate prosequi voluit. Hic itaque funestus omnis apparatus, hic, quem videtis, ejus familiarium mœror, atque lugubris vestitus Regis ejus caussa constitutus est; in quo cetero magnificentissimo apparatu cum ejus amplitudini, tum etiam suæ pietati fortasse Cardinalis Hippolytus respondebit, certe in me uno, qui de tanti Regis laudibus dicturus sum, non ita. Quis namque tanto ingenii lumine, quis tanta dicendi vi, atque copia esse possit, quem hujus divinissimi Regis laudum major pars non sit præteritura? Me vero, cui utrumque multo minus est, quam mediocre, certe multo plura necesse est, ut fugiant. Sed uno illo tamen non parum recreor, quod quæque vobis quasi degustans percurrero, nulla amplificandi ratione egere videntur. Tam namque per se magna, tam ampla, tamque illustria sunt, ut etiam cursim enarrata, sine ullo orationis ornatu, sine ulla verborum copia atque amplificatione maximam vobis possint movere admirationem.

So-

Solent plerique eorum, qui hoc modo aliquem laudant, continuo ab ejus, de quo agitur, Majorum laudibus, ac familiæ nobilitate suæ laudationis initium sumere; & profecto multum interest, utrum obscuris, an præclaris quis ortus sit parentibus; adolescentiæ item studia in primis commemorant; præsertim si ea in optimis artibus peracta fuerit. Neque etiam formam, si ea ingenua atque liberalis illi contigerit, omittunt. Ego cum genus huic nostro maxime illustre, forma valde egregia, a qua vere Reges a Poetis describi solent, adolescentia vero nisi in Regiis studiis versata fuerit, hæc tamen omnia nunc omittam, illis illa relinquens, qui cum in suo parum, quod extollant, habebunt, in iis horam illam consumant, ac quasi extrinsecus materiam sibi ad dicendum requirant, inde exordiens, unde ille Regiæ Dignitatis initium sumpsit. Hic igitur alterum & vigesimum ætatis annum agebat, cum Aloysio Regi, ac Socero suo succedens ad Rempublicam gerendam accessit. Si annorum numerum spectemus, tanto Regno admodum erat adolescens, si consilium in deliberando, si celeritatem in agendo, si prudentiam, & virtutem in utroque tractando, atque conficiendo consideremus, nihil in hoc, quod in maturo viro, ac in fortissimo Rege esse debeat, desiderabimus; immo vero, qui multis Regnis solus satis esse posset, facile judicabimus. Continuo namque Helvetiis, qui per summam injuriam Socero Aloysio Mediolanum ereptum possidebant; nam Maximilianus Sfortia ditionis quidem nomine potiebatur, re autem vera ipsi Helvetii domini erant; justum, ac legitimum bellum indicit, cum ut, quod sibi dolo interceptum esset, id sua virtute recuperaret, tum ut hanc tantam notam Regiæ Majestati per scelus inustam fortiter deleret; quo bello suscepto, continuo mox, superatis Alpium jugis, exercitum in Italiam trajicit, cujus adventus neque negligenter ab hostibus accipitur. Nam & ipsi Helvetii ingentes copias comparant; utrique autem ad Marignanum conveniunt. Multa hic brevissimi temporis angustia, quæ Rex ipse præsens consilio, ac prudentia sua providebat, omittere, ac ad pugnam properare cogor. Ut igitur satis ad eam utrinque provisum est, ab Helvetiis, ingenti clamore sublato, in Gallos impetus fit maximus: neque Galli intrepidius illis occurrunt. Atrox oritur certa-

tamen, pugnaturque ab utraque parte acriter. Nam Helvetii, qui ex omnibus præliis victoriam referre solebant, quique se Principum domitores appellabant, hanc amittere, atque ab hoc uno vinci adolescente graviter indignabantur. Rex vero noster, ut inde rem bellicam felicius auspicaretur, ut tanto Regno & tuendo, & amplificando se idoneum esse non solum suis, sed & alienis ostenderet, omnem operam navabat, nihil omittens, quod ad optimum Imperatorem pertineret. Consulendo, hortando, obeundo, voce, manu suis ubique præsto aderat, ingruentibus autem noctis tenebris; nam dedita opera Helvetii sub vesperum prælium inceperant, ne Galli in equitatu, a quo optime parati erant, aut opem, aut spem ullam habere possent; quasi prælium dirimitur. Nam etsi hostes lacessere per noctem non cessent; nostri tamen satis habent, si se tueantur, ac illos, quasi eorum ictus tantum excipiendo, defatigent. Ut vero illuxit, neque hostes quidquam pugnæ remisissent, instarentque magis, ut rem absolverent, ac jam ut aut vincerent, aut vincerentur; tum Rex magnam equitatus partem, quæ per noctem ab omni pugna sese abstinuerat, in hostes immittit. Recentum equitum fortem impetum cum defessi, atque saucii hostium pedites sustinere non possent, in fugam se convertunt, terga dant, pedibus salutem quærunt. Insequitur Rex, cædit, proterit, stragem edit, vincit; victor inde recta Mediolanum proficiscitur, eoque facillime potitur. Quantam rem, quantique negotii vobis ego quam paucissimis perstrinxerim, videtis. Regis scilicet celeritatem in ea conficienda mea imitata est oratio in eadem pertractanda; ex quo bello feliciter gesto non solum unius victoriæ gloriam Rex assequutus est; multos namque in eo triumphos sibi confecit; verum omnibus populis, Principibus, ac Rebuspublicis si timore non injecit magnum, certe virtutis suæ maximum specimen, ac testimonium dedit, se scilicet eum fore, quem omnes Principes sibi magis omnibus arctissimæ benevolentiæ necessitudinibus conjungerent, quam ad ullam amicitiæ caussam lacesserent. Id quod etiam factum est. Undique namque frequentissimæ, ac nobilissimæ Legationes illi victoriam illam gratulatum accurrere, quas ille contra omnes amicissime, atque Regie accepit, atque tractavit.

Cum autem ab hoc præclaro facto [ne perpetuam Hi-

Historiam contexere videar] Rex interea multis in locis varia [ut in rebus fit bellicis] victoria pugnasset, tandem Borboneum in Provinciam cum exercitu irrupisse, Massiliamque terra, marique omnibus militaribus machinis oppugnare cœpisse intelligens, statim, quas potuit, copias colligit, atque cum has tanta celeritate Mediolanum contendit, ut multo hostem anteveniret, Urbemque, quæ illi jampridem defecerat, iterum reciperet. Audistis umquam factum Scipionis Africani facto magis simile ? cum Annibalem in Italia relinquens in Africam trajecit, & Carthaginenses primum ut ex Italia Annibalem domum revocarent, deinde, eo victo, ac fugato, deditionem facere cogeret ? O alterum Scipionem, nisi etiam illo tanto majorem, quanto in conficiendo negotio celeriorem ? O factum numquam satis omnibus linguis commendatum, quo non solum parum munitam Urbem Rex absens tutatus est, verum etiam hosti Mediolanum, hoc est, Italiæ caput, ademit. Ac misso Mediolano Ticinum hostes se recipiunt. Hic quoque, Mediolani rebus recte constitutis, Ticinum cum omni exercitu proficiscitur. Cum autem vi Urbem capere non posset, omnia ejus mœnia exercitu circumdat, hac una spe, ut aut illam fame ad deditionem compellat, aut hostem ad pugnam tandem eliciat; quorum alterum evenit. Erumpit enim tandem ex Urbe hostis. Cum eo diluculo V. Kal. Martias manus conseritur, tantaque vi, atque animi contentione pugnatur, ut præ hac cæteræ pugnæ armorum quædam ludicra fuisse videri possint. Hi pro imperio, illi pro salute contendunt. Utrinque cædes fit maxima. Pedites, equites æque strenue rem gerunt; neque Rex Franciscus ipse sibi, ac suis in tanto rerum discrimine quidquam deest; in equo in omnes partes concursat; ubi sua præsentia opus est, illuc advolat; ut iis locum restituit, alio, ubi idem periculum instare videt, accurrit, cum neque ipse interea a pugna sese umquam abstineret. Postremo, dum acriter hostes urget, equus ei suffoditur, ad terram ambo concidunt; cum Rex tamen ita pedes fortiter se defenderet, ut omnia, quæ a fortissimo Viro fieri solent, magis pro gloria, quam pro salute, experiretur, tandem a suis destitutus, a multitudine autem hostium circumdatus, atque oppressus fortiter pugnando capitur. Videte, quæso, quid ego in summa hujus Regis laude po-

ponere non dubitarim, qui hunc captum in orationem meam induxerim. Si vere, quod sentiam, mihi licet dicere, multas ego victorias multis ignobiliores evenisse, quam hunc eo modo captum fuisse existimo, quasi vero quisquam belli eventum habeat exploratum, ac in eo non plurimum fortuna dominetur. Certe, quod prudentissimi, ac fortissimi Regis fuit, hic omne præstitit, obivit, nihil omisit; quod vero fortunæ, nihil mirum videri debet, si vitare non potuit. Quasi vero non Regulus captus fuerit, non Darius, non Cyrus, non innumerabiles alii Reges, atque Imperatores, qui fortasse tam honeste capti non fuerunt, quam hic capitur noster. Sed jam me ad singulas hujus virtutes recipio, ac primum ad eam, unde hic Christianissimus cognomento est dictus. Nam cum Galliarum Regem Gentes omnes, nationesque tam a nostra Fide abhorrentes, quam etiam cum ea optime sentientes, cognomento Christianissimum appellent, quam Francisco Regi id vere convenerit, quamque non indigne tanti cognomenti hæreditatem cum Regni possessione Franciscus Rex adiverit, primum videndum est. Ac ne, quæ domi in Republica administranda Christiane gessit, hunc in locum nunc conferam, quorum nullum finem esse video, ac tantum, quæ in Reipublicæ Christianæ utilitatem contulit, vobis percurram, continuo ex ea nobilissima victoria, quam ex devictis Helvetiis reportavit, Bononiam Rex ad Leonem Pontificem Max. venit, cum quo multos sermones, eosque omnes ad Rempublicam Christianam maxime pertinentes, habuit, in quibus cum etiam de suscipiendo bello adversus Turcarum Regem ageretur, suas hic tum copias, suoque ære comparatas, ac quidquid haberet ad ejus belli usum cæterarum rerum, se denique ipsum, quantum id bellum produceretur, libentissime pollicitus est. Macte virtute, Adolescens, sic eo itur, ubi nunc beatissime agis, sic homo exuitur, sic Dii fiunt homines, sic Regia se virtus declarat. Fortissimos hostes devicerat, imperioque suo Insubriam omnem adjecerat; tantum tamen abest, ut quicquam eo insolentior factus esset, ut neque humanior fieri, neque tanto cognomento magis respondere posset. Omitto, hunc ipsum Massiliam post multos annos ad colloquium de Republica Christiana cum Clemente Pont. Max. profectum esse. Non commemoro item Ni-

cæam

cæam cum Paulo III. Pont. Max. hac eadem de caussa, ut esset, se contulisse: tantum illud addo, non jam hunc verbis, sed re. ipsa fidem suam in Rempublicam Christianam optime comprobasse. Nam quo tempore Gens barbara, atque Diis omnibus inimica, Romam capit, ac diripit, Clementemque Pont. Max. primum Romæ, deinde in Urbevetana obsidet; in qua Urbis direptione omnia ad impii victoris libidinem eversa sunt; humana, divina, profana, sacra, direpta, incensa, Virgines coram Parentibus, Uxores in Virorum conspectu, ac prope complexu constupratæ, in viis, in Templis omnia fœda, omnia turpissima perpetrata. His, inquam, miserrimis difficultatibus Reipub. Christianæ oppressæ solus Franciscus Rex Christianissimus subvenit, solus spectantibus cæteris Principibus vere Regem egit Christianissimum. Quam namque tutari non potuit, saltem, ne tota corrueret, ac funditus everteretur, Christianissime prohibuit. Nam etiam dum in Urbevetana Clemens Pontifex Max. obsideretur, Romaque hostes libere potirentur, Lutrechius cum maximo, ac nobilissimo exercitu, qui utrique opem ferret, ab hoc Rege Christianissimo in Italiam mittitur; de cujus adventu vix primus nuntius ad aures hostium pervenit, cum fugam expediunt, Romamque, ac Pontificem Max. deserunt. Si quis hujusce facti quanta pietas fuerit, quantaque in Deum Opt. Max. Religio fortasse quærit, is scelus hostium, is barbarorum hominum impietatem, Deorumque omnium contemptum consideret. Certe qui cuipiam misero, atque inopi Christiano opem tulerit, is summa commendatione dignus judicabitur, ac eum Christiane fecisse omnes prædicabunt; qui vero universæ Reipub. Christianæ subvenerit, qui eam, ne funditus interiret, providerit, qui in pristinum statum restituerit, is mihi non unus homo Christianissimus, sed unus ex Diis ipsis existimandus esse videtur. Ad Christianæ pietatis, ac Deorum Religionis sanctissimæ gloriam cæterarum quoque virtutum non minor laus accedit, de quibus deinceps nobis dicendum est. Ac primum de prudentia. Nam etsi hanc in tota oratione diffusam esse facile sentietis, non fuit tamen omittendum, quin hujus aliquid etiam separatim attingerem. Hujus autem virtutis quanta vis sit, quantumque in rebus omnibus conducat, is stultissimus est, qui non videt. Hæc namque, quidquid quis cum alio, atque adeo

secum

secum agit, id recte ut agat, efficit. Sed cum omnibus negotiis ea maxime conveniat, in primis iis, qui Reipub. præsunt, merito attribui solet, ne sive in deliberando, sive in agendo, cui optime consulere debent, ei quidquam obsint imprudenter. Hæc autem in Francisco Rege quanta fuerit, id maxime testatur, qui cum prope assiduis, ac difficillimis bellis infestaretur, multisque, ac maximis undique hostibus eodem tempore arctissime premeretur, ita tamen rebus suis semper providit, itaque prospexit, ut non solum quidquam ex eis non amiserit, sed multas, ac nobilissimas Urbes Imperio suo adjunxerit, quas etiam moriens Filio reliquit sui amore quam maxime munitas, ut si res aut a consilio, aut ab eventu, quod plerumque fieri solet, spectetur, hic utroque prudentissimus extitisse videatur, qui & optimo consilio in deliberando usus, & facile eventum in agendo consecutus sit, cum etiam per gravissima tempora non solum res suas optime texerit, sed etiam splendide amplificarit. Judicium prudentiæ sic junctum esse videtur, ut igni lumen. Nam quemadmodum ex igne lumen exoritur, sic ex prudentia nascitur judicium. Recte igitur post prudentiam de hujus judicio par est ut agatur. Quantum autem hoc uno divino bono Rex noster valuerit, vel uno illo, quod omnium judicio optime comprobatum est, facile declarabimus. In eo bello, quod ad Cerasolam gestum est adversum Histonii Principem, in re militari nullo Imperatore inferiorem faciunt. Cum hic usque in Galliam a suis certior factus esset, qua ratione hostes bellum gererent, ac quemadmodum eorum castra, ac illi in eis se haberent, continuo suis rescribit, quid agere debeant; illi vero non prius ejus consilium exequi cœperunt, quam hostem fundunt, fugantque, & cum eorum magna, nulla suorum cæde, victoriam in Galliam remittunt. O Divinum consilium, o mirum Regem Franciscum! Quid nam majus, quid dignius, quid gloriosius, quam domi etiam sedendo vincere, quam absentem, atque inermem, absentem, atque armatum hostem superare? Unius Justitiæ tanta vis est, tantaque excellentia, ut ejus virtute divina non solum cœtus hominum, quas Civitates appellamus, optime conserventur, verum etiam si, qui latrocinantur, hac una careant, statim ut eorum societas dirimatur, necesse est. Quod autem Rex Franciscus hoc Re-

rum

rum publicarum divino fundamento in Republica administranda fit usus, ejus præclara, atque justissima declarant Instituta. Primum namque cum suarum quisque rerum tranquilla fruitur possessione; nulla namque vicino pauperi a potentiore vicino vis affertur, in suo ille placide conquiescit; hic alienum insolentius non occupat; deinde cum longissimorum subselliorum judicationes ad æquissimi temporis, quam Galli ipsi *magnos dies* vocant, rationem revocatæ sunt; postremo vero cuique infimo homunculo quemvis Principem Civem in Jus tuto cogere licet, ac ne ullum potentia in Judicium sequatur, provisum est. Hac namque una ex Judiciis sublata potentia, & æquius in Civitatibus vivitur, & amantur inter se etiam homines verius. Fides omnium virtutum mater est, quando justitiæ, quæ omnes virtutes complectitur, eadem est fundamentum. In hac una fideliter præstanda, atque sanctissime servanda, nolite putare, quemquam umquam fuisse aut constantiorem, aut certiorem. Ac ne minuta quædam in oratione mea inculcem, de publicis, idque quam paucissimis, tantum agam. Hic cum multa cum hoste fœdera fecisset, cum amico sæpius coivisset, hujus caussa nullum fœdus renovatum, ne dicam fractum, umquam est, aut lectum, aut auditum. Neque memoria in uno homine parum commendanda est; siquidem ea ingenii recte Thesaurus habetur. Nam quidquid illud adinvenit, quidquid excogitat, quidquid notat, id ad suum tempus in ea collocat, atque custodit. In hoc tanto, tamque raro bono ita Rex Franciscus excelluit, ut cum C. Julio Cæsare, cum L. Scipione, cum Cyro, cum Mithridate, & cæteris, qui memoria præstiterunt, facile sit annumerandus. Nihil namque hic audierat, nihil legerat, nihil viderat, quod non ita fideliter recordaretur, itaque memoriter repeteret, ut si id ante oculos propositum haberet, atque de libro recitaret. Nihil dico, quod hic omnibus fere Linguis recte loqueretur; prætereo minima quædam multorum annorum, quæ ex ejus animo non exciderant; Orbis universus terræ quantus sit, quamque multiplices ejus partes describantur, quam gentibus diversas, lingua, moribus institutis, ritu, dici vix posset. Hic Rex noster de toto Orbe, ac de ejus partibus omnibus non minus fideliter loquebatur, quam qui non solum eum totum pervasisset, sed

qui

qui in fingulis partibus & natus, & altus fuiffet. Profecto in homine multa funt, quæ jure optimo fummis laudibus tollantur: fed nulla omnium res eft, quæ majori præconio, quæque omnibus commendationibus magis digna fit, quam humanitas, quæ & facilitas dicitur. Hujus enim vis, atque nobilitas tanta eft, ut fi fola ab homine auferatur, is poftea nudus ab omni laude, atque commendatione relinquatur. Hac vero una animi manfuetudine, ac propria hominis cum hominibus facilitate, quis uno Rege Francifco præftantior, immo vero quis non multo inferior fuit? Adiiffet quis ad hunc, læto eum femper vultu, lætiore etiam oratione Rex accipiebat. Quin cum plerique Principum, atque Regum infolentia cum ad eos accedunt, interdum toto animo, atque oratione cadere foleant, hic fi quid tale in ullo fecum accidiffet, fua hilaritate, ac fuis jucundiffimis verbis eum fuftinebat, animumque illi faciebat ad dicendum; cum non ita tamen hac propria hominis virtute abufus fit, ut a perfonæ fuæ gravitate quidquam umquam abduceretur. Nam in ipfa hujus humanitate gravitatis fplendor femper elucere videbatur, in qua una animi virtute tanta quamquam hic nullus alias fuiffet, ac hoc tantum, quod dicam, humane, ac benigne feciffet, profecto omnes humanitatis rationes, atque numeros abfolviffe dici merito poffet. Nam cum Cæfar, vix armis recentioribus depofitis, ex Hifpania in Celticam properaret, atque iter illud ei per Galliam commodiffimum accideret, id vix prius ab Rege petit, quam ab eodem impetrat. At itineris conceffio quamquam maxima fuit, minime tamen præ eo, quod fequitur, eft judicata. Primum namque illi honoris cauffa fic ab univerfa Gallia multa paffuum millia obviam eft itum, ut Regi ipfi fuo longiffime Gentium advenienti, neque frequentiori equitatu, neque lætiori animo effet occurfum. Quibus vero hic oppidis, quidnam ædibus dicam? fubito in agro extructis, qua ille iter facturus effet, ac qua magnificentia in Urbibus, quo ubique perpetuo apparatu, quo nobiliffimo comitatu, quo animo, quo denique vultu cum Principum omnium, tum Regis ipfius quoad ex Regno exiverit, & acceptus & tractatus fuerit, dies me defecerit, fi explicare conabor. Rex namque alias alios Reges amplitudine, atque omni magnificentiæ apparatu

fupe-

superavit, se vero tum longissime superat. Hæc qui neget summæ humanitatis, atque amplitudinis fuisse, amentissimus erit: illud tamen, quod dicam, tantum est, ut magis ad divinitatem accedat, quam humanitatis quidquam habeat. Id autem est, quod quo tempore Cæsar in Gallia fuit, omnia [*De hac re nullus Historicus, quod ego sciam, mentionem facit*] Diplomata ejus nomine Regis jussu sunt & decreta, & signata, ut prope Rex magnificentissimus etiam in Regno suo ejus ditionis partem illi amicissimo concederet. O incredibilem Francisci Regis humanitatem, o benignitatem inauditam, atque inusitatam, ut illum, qui eo prope gladio accinctus esset, quo se non semel appetitum Rex sciebat, tanta animi bonitate amplecteretur, ut eum etiam in Regni partem accipere videretur! De hujus vero fortitudine quid dicam, quo non sint multo plura dicenda? non tamen permittam, ut silentio tota res prætereat. Cum igitur tam is fortis esse dicatur, qui læta, & prospera moderate, quam qui adversa fortiter perfert, in utro Rex Franciscus majorem laudem assequutus sit, in dubio relinquitur. Squidem in victoriis suis, in quibus omnium voluptatum titillationes omnes sentiri solent, nullam gestientis lætitiæ significationem dedit, nullum verbum insolentius, nihil inaniter, ac minus modeste aut egit, aut locutus est. Contra vero Claudiæ uxoris Regiæ fœminæ, quam unice adamavit, ac trium charissimarum Filiarum mortem æquissimo animo pertulit. Sed quid hoc mirum in fœminis, cum non minus fortiter se in duorum Filiorum prope continuatis funeribus gesserit? At qui [Dii boni] Filii! quorum alter natu major, cuique Regnum veniebat, jam vigesimum annum attigerat, summa virtute, & Regia præstantia præditus; alter hoc quidem junior multo, sed quem quoque tamen charissimum haberet, nulla ejus vox tamen est audita, nullus gemitus, nullum suspirium, quod minus fortissimo Rege indignum judicaretur, in uno scilicet, qui illi medius inter horum utrumque relictus erat, totus acquiescens, neque id immerito. Tanta namque spe est Adolescens Henricus, tantaque animi excellentia Vir, ut tanto Regno major nulla expectari, neque desiderari posset. De quo vere ea verba hic noster usurpare potuisset, quæ de filio Alexandro protulit Philippus, qui cum ejus animi summam & prudenden-

dentiam, & altitudinem cognovisset; *Fili*, inquit, *Macedonum hoc te Regnum non capiet*. Sed redeo ad Regis mortui fortitudinem. Nemo nescit etiam aviculis ipsis una libertate nihil dulcius, nihil amabilius a natura accidere posse; homini vero ita ea est jucunda, ut is vitæ etiam interdum illam præferre non dubitet; hic tamen tantus Rex, quamdiu captus in custodiis mansit, sic fortis fuit, ut si minus læto, certe eam fortunæ iniquitatem animo pertulerit æquissimo. Quamquam unum id ei semper aderat solatium, meminisse se quam fortiter captus fuisset, quam minime indecore cecidisset, quodque ad se pertineret, se nullam ejus facti culpam præstare debere, qui & optimo consilio in eo bello usus fuisset, in prælio vero fortissimi, ac maxime strenui Regis operam navasset. Neque ad nostram laudationem pertinere non arbitror, si cum his animi virtutibus quædam etiam, quæ cum corporis honestissimo sunt officio conjuncta, quasi contexuissem; in iis autem venatio maxime commendatur; neque id injuria. Nihil namque tam Regium est, nihil tam magnificum, nihil etiam tam cum armis conjunctum, quam hæc est ferarum fortiorum agitatio. Nam, ne otio Principes effœminentur, ac ignavia turpiter languescant, unum id studium omnium est aptissimum. Quæ vero pugnæ, atque conflictus expressior imago fingi potest, quam venatio ipsa? Cum hoste cominus pugnatur; cum bellua neque longe decertatur: acriori animo, ac fortioribus viribus cum hoste opus est; cum fera neque timide; neque lente, aut remisse agendum est; certe sæpius hostis vincitur, dolo feræ in angustiis circumsepiuntur; postremo quæ virtus in hoste superando adhiberi solet, eadem in bellua confodienda rectissime adhibetur. Hac vero agitandarum ferarum ratione Rex Franciscus ita delectabatur, itaque in ea totus erat, ut nullum tempus ab ea seclusum haberet. Nam sive ardentissimi Solis æstu Cœlum conflagraret, sive nives altissimæ agrum omnem complerent, in venando majorem otii partem ponebat. Illud addite; cum artem illam, quam hic omnium hominum maxime exercuit, tam eorum etiam ipsorum illam optime calluit. Neque ædificandi ratio ab Regiis studiis rejicienda est. Hæc namque ad hominum usum maxime pertinet; tum eam etiam voluptatem habet, ut hoc apud

apud nostros jampridem usurpetur, ædificare esse opes suas cum delectatione absumere; neque fere quisquam est, qui pro viribus suis [tametsi optime habitet] aliquid semper tamen in ædibus suis aut non mutet, aut non renovet; qui vero locupletiores sunt, aut laxissima palatia, aut capaciformas villas, aut amplissima Oppida, aut frequentiformas Urbes condunt. In quo ædificandi studio quam magnifice versatus sit Rex Franciscus, ne expectetis, dum dicam; neque ut Regias villas ab hoc subito ædificatas percurram. Nimis namque hæc exilia sunt tanto Regi; id, quod maximum est, audite. Hic cum in continenti ædificare, atque ædes struere omnium hominum esse videret, aliquid majus animo moliens, ac Rege Francisco dignum ædificare, in Oceano ad ostium Sequanæ Urbem nobilissimam condidit, quam de suo nomine, quasi novus Alexander, Franciscam appellari voluit. Quæ mihi nunc Pyramides, qui perforati montes, quod Mausoli sepulchrum, qui Colossi cum hac Urbe conferentur? Illa tantum leguntur; hæc vero & frequens habitatur, & visitur mirifice; in qua una multiplici ædificandi ratione illud etiam inerat commodi, quod in iis ædificiis condendis multum opis ad suas familias alendas operis afferebatur; separatim autem cæmentarii fabri, atque una cum eis architecti, quasi hisce amplissimis præmiis invitati, in artem suam ardentiores efficiebantur. Una postremo virtus restat, de qua agamus hoc loco, beneficentia, quam eamdem liberalitatem dicunt. Cæteræ quidem aliæ virtutes Regiæ sunt; sed hæc una earum omnium Regina est. Nam quantum Reges ipsi inter alios viros; sic hæc inter alias Regias virtutes dominatur; & jure id quidem optimo. Siquidem Reges non tam ad imperandum, quam etiam ad largiendum & fiunt, & nascuntur; cujus unius tanta vis est, tantaque præstantia, ut si quis Princeps cæteris omnibus animi bonis careat, vel etiam vitiis omnibus laboret, contra vero hac una benigne faciendi ratione fulciatur, satis habeat ad bene ab omnibus audiendum, atque hac una largiendi virtute omnia vitia abunde compensare possit. Quam autem Rex Franciscus liberaliter agendo floruerit, quam gratis sua sponte in multos Regia munera contulerit, quam petentibus concesserit omnia, impudens ero, si explicare voluero. Quæ namque gens ulla est tam in ultimis terris

abdita, qui populus tam ultra maria incolens, quæ tam barbara, tam efferata, tamque ab humano cultu avia natio, ad quam hujus liberalitatis nomen non pervenerit, non penetrarit, non pervaserit? Sed quid ego nomen dico? Immo vero quibus ab hoc amplissimo Rege amplissima munera non sunt missa? Transeo quos Principes, prætereo quos Reges, non commemoro quas Respublicas Rex Franciscus Regiis largitionibus complexus sit, ne quispiam id mihi objicere possit, hunc eo modo potius aliorum gratiam quæsivisse, quam liberalitatem suam exercuisse, atque in referenda magis, quam ineunda gratia, versatum fuisse; tametsi iis ipsis, a quibus aliquo munere prius quasi provocatus fuerit, ea ratione semper responderit, qua ager fertilis, qui multo plus affert, quam accepit. A cæteris item exemplis commemorandis ea ratione impedior, ne prorsus vobis ineptus videar, qui nihil novi, nihil non auditi, nihil non vulgatissimi huc afferre possim. Quis enim nescit, qua in Scotos, [ita enim appellant] quos ad sui custodiam supra quadringentos numero habuit, usus est beneficentia? quos omnes non solum ditavit, sed etiam omni dignitate cohonestavit. Cui non auditum est, qua item Sfortiorum Principem, & Cardinalem Candardiensem prosecutus sit liberalitate? qui quoties ad hunc Legati ventitarunt, toties multiplicatis largitionibus aucti domum redierunt. Cujus aures non callent ex Italis Trivultios, Fregosios, Rentium Cerium, atque Joannem Paulum ejus Filium, Mirandulensium, Melficiensium, ac Secundensium Principes; ex Hispanis Petrum Navarium, Jacobum Mendotium, Cosmarium, Mandritium, Ramirum: infinitos præterea cujusque generis reliquos ab hoc honestissime & acceptos, & longum tempus Regie tractatos: quem denique præterit hunc ipsum in Hippolytum Atestium Cardinalem, cujus nomine hoc Regium funus celebratur, hæque persolvuntur Inferiæ, multa, ac maxima Sacerdotia contulisse? Primum namque huic Ferrariæ etiam dum agenti, ac nusquam inde cogitanti, omniaque alia magis expectanti, amplissimi Sacerdotii possessionem domum usque deferri jubet. Pro qua tanta in se beneficentissimi animi significatione gratissimus Cardinalis in Galliam Regi gratias acturus proficiscitur, quo interea brevi tempore su-

pe-

periori hæc quoque & nobilissima, & quam uberrima accessere Sacerdotia. Fit namque continuo Lugdunensis Primarius Antistes; postea Heduensis; tertio Benoliensis; quarto Suessionensis; quinto Sancti Launomarii; postremo Sancti Lilii, quorum summa mille, ac ducenta sestertia, ad nostram autem rationem triginta millia nummum Coronatorum facile conficit. Quam ingentem beneficentiam, quamque vere Regiam liberalitatem ne expectetis, dum ego meis nunc verbis exornem magnificentius. Eo namque amplitudinis per se pervenit, ut ad majorem amplificationem nullo orationis ornatu opus esse videatur. Unum illud tantum dicam, idque altius, ut omnes æque intelligant, dicam; Regem Franciscum tanta hæc, tamque magnifica munera, hanc ingentem perpetuæ pecuniæ vim in nullum alium melius conferre potuisse, quique eam eo modo, quo in se collata fuisset, honestissime exerceret; quam in unum Hippolytum Atestium, qui non solum iis ipsis in suos, hoc est, quos virtute aliqua præditos novit, Viros splendidissime, ac liberalissime utitur, verum etiam quas cæteras opes, neque eas quoque mediocres possidet, his Regiis ea ratione benignissime adjungit. Sed, ut unde digressa est, illuc redeat oratio, hæc hactenus Rex Franciscus in strenuos Imperatores, atque Principes Viros contulit; quo vero hic studio literarum studia fovit? quo literatos ipsos sustinuit, atque locupletavit? Continuo hic undequaque qui optimi libri erui possent, conquiri, conquisitos in Bibliothecam Regiam ad Bolianti fontem componi jubet; postea vero qui in quatuor linguis Latina, Græca, Hebraica, ac Chaldæa præstarent Viri, maximis propositis præmiis, Lutetiam Parisiorum conduci mandat; ut ex eo scientiarum omnium quasi amplissimo Seminario quisque sibi, quod in suam Civitatem postea transferre posset, abunde haberet. Hæc autem ad publicam utilitatem studuit. Quid vero beneficientiæ & in privatos literatos contulerit, Danesii, Vuscrenii, Castelanii, Colinii, Baifii, Alemanii, Julii, Camilli, cæterique ejus ordinis innumerabiles Viri facile declarant, quos non solum ipsos Regiis est muneribus prosequutus, sed in illis eorum quoque posteros locupletavit. Et mihi Mæcenatem isti nescio quem narrabunt? Non si Julios, non si Octavios, non si Alexandros commemorent,

parem huic objiciant Mæcenatem. Quem vitæ suæ tenorem honestissimum cum in imperio trigesimo tertio plus minus anno constantissime servasset, studeretque in dies etiam ut magis de omnibus optime mereretur, atque inde optime etiam ab omnibus audiret, dum, inquam, Remp. domi, forisque ea prudentia, atque consilio, quo dictum est supra, feliciter gerit, dum hic Sacerdotia amplissima donat, illi pecuniam præsentem dinumerat, alii etiam ex ærario in omnes annos pensiones certissimas scribi jubet, in morbum incidit, quo etiam moritur anno ætatis suæ quinquagesimo tertio: ac eo forte die, quo Henricus Filius, qui hodie Regnum obtinet, nascitur, cui tertio die antequam decederet; *Fili*, inquit, *eo die Rex creabere*, *quo natus es*, *pridie Cal. Aprilis*. Id quod re ipsa comprobatum est, ut usque ad ultimum spiritum divinus ille animus sese propius ad Deos, quam ad homines, accessisse, planissime declararit. Quo magnificentissimo Rege terris erepto, Provinciæ, Nationes, Populi, Principes, Reges, Res denique publicæ omnes perpetuo mœrore, atque luctu contabescere deberent; quando in hujus unius obitu magnam omnes jacturam fecerunt. Suum igitur quisque commodum flendi nullum finem faciat: privati utilitatem suam; Principes virtutum omnium exemplar sibi ereptum esse queri non cessent; Musæ ad suas Elegias se convertant, atque in iis flebiliter habitent; familiares, Cives, noti questibus, ac lamentis terras omnes compleant, nihil posthac læte aut agant, aut sperent. Occidit, occidit dignitatis splendor, solidæ gloriæ lumen, virtutum omnium Sol splendidissimus, qui solus infimis, mediocribus, summis semper præsto fuit, qui nihil tam suum esse duxit, quam quod cæteris elargitus esset, cujus quidem largitio fundum nullum habuit, nullique umquam non plenissima extitit. Hac itaque caussa quidquid est ubique hominum perpetuo lugeat, atque in squalore vitæ reliquum agat, quando una hora in uno tanto, eamque splendido Rege tot, ac tantas utilitates amisit, quot, ac quantas in omnibus annis ab omnibus Regibus sperare vix potest. Verum si magis homines ad hujus sempiternam gloriam, qua nunc in Cœlo fruitur cum Diis cæteris, a suis commodis sese convertant, si quidquam huic ex tot beneficiis grati

ti esse velint, si gratias ullas de se optime merito Regi agere, quando nullam referre possunt, ex animo studeant, omni isto suo mœrore deposito, lachrimis omnibus extinctis, querelis sedatis, ac lamentis compressis, amicissimis acclamationibus, vultu hilari, oculis lætissimis magnificentissimi Regis discessum in Cœlum prosequentur, veramque illi gloriam, sempiternumque, ac sanctius Regnum, quo ejus eum virtus extulit, una voce congratulabuntur. Dixi.

LILII GREGORII GYRALDII.

Hic Rex Maximus, Optimusque Regum,
Hoc qui nomine primus est vocatus,
FRANCISCUS jacet, invidente fato
Tot virtutibus, inclytisque factis,
Quod tegi omnia credidit sepulchro;
Sed non omnia tecta sunt sepulchro.
Nam passim volitant Virum per ora
Ex scriptis hominum eruditiorum,
Hac Oratio ceu diserta Riccii est.

Ferrariæ in Æde Divi Francisci Habita V. Cal. Majas MDXLVII.

Jacobus Bonus habuit.

BARTHOLOMÆI RICCII

ORATIO

PRO ISAACO ABRAVANELLIO HEBRÆO

Ad Herculem II. Ateſtium.

Ad Lanfrancum Gypſium ejuſden HERCULIS Ateſtii & Procuratorem diligentiſſimum, & Conſiliarium prudentiſſimum.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Lanfranco Gypſio S. D.

Rationem affert, cur ei potiſſimum Orationem hanc inſcribat, & in ejus virtutis, ac prudentiæ laudes excurrens hortatur, ut pergat optimis conſiliis ſuis Principem juvare, Civitatem conſervare, nomenque ſuum in dies amplius immortalitati commendare.

Cum tibi quotidie, Gypſi, aliquid ex meis ſcriptis mittere ſoleam, idque ſemper jure faciam æquiſſimo, hoc tamen, quod nunc mitto, æquiore facere non poſſem. Nam cum hoc totum, de quo in præſentia agitur, a te profectum ſit, cui honeſtius, quaſi remitteretur, prorſus erat nemo. Tu enim, Gypſi, ne innocentiſſimus Vir ab audaciſſimo latrone opprimeretur, effeciſti; tu idem, ne honeſtiſſimi, ac probatiſſimi Viri, Cives tui, per miſeros cruciatus necarentur, optime

cura-

curasti ; tu denique , ne Princeps tuus sceleratissimi hominis dolis in maximum mœrorem, in suorum autem Civium multo majus odium raperetur, prudentissime providisti. O Virum vere Christianum , atque ad communem utilitatem natum, qui etiam in Judæum æquitatem tuam probasti, tuis autem Civibus, tuo Principi tam præsto affuisti ! Nihil mihi nunc communis Patriæ charitas, nihil affinitatis propinquitas, nihil a pueris nobis mutuus amor , qui una etiam cum ætate accrevit simul, ulli impedimento sit , quin, quæ de virtute tua, de summa prudentia quisque verissime prædicat , ego hoc loco leviter attingere possim. Tuo, inquam, Gypsi, beneficio, tua singulari sapientia , tuo divino judicio factum est, ne improbitas, ne scelus perpetuo in Civitate dominaretur , boni omnes jacerent , & opprimerentur . Nam qui summo scelere crevisset , quid aliud, quam scelera, ut cumulate nefarius esset, vel ut potius tanto sceleri quasi gratiam referret, perpetuo exerceret, coleret? At in qua caussa , Dii boni! id effecisti? in qua de cæde Principi constituta agebatur; in qua gravissima argumenta, literæ conjuratorum afferebantur , accusator autem tam acris, tam audax esset , ut non modo rationibus judicium acriter urgeret, sed suo capite ipso vincere conaretur . Tu tamen continuo , quanti res esset , optime animadvertens , numquam animum induxisti tuum, ut temere crederes, ut ad Judicium festinares , imo id usque eo tua prudentia

sustinuisti in inquirendo, quoad quasi sua sponte veritas patefacta est, quoad Deus lumen caussæ attulit, dolos, ac totum maleficium detexit, cui uni tuæ prudentiæ hoc, quod nunc agimus, quodque posteri agent, quietissimi otii, ac securissimæ tranquillitatis, omnes libentissimis acceptum referimus animis. Perge vero, Gypsi, istis optimis consiliis, ista vera prudentia Principem juvare, Civitatem conservare, nomen tuum in dies amplius immortalitati commendare; para iis, qui scribunt hujusmodi argumenta, præbe etiam, si potes, his majora. Deus te in eum, quem habes apud Principem tuum amplissimum, delegit locum; Deo, ut facis, perge gratus esse, hoc est, iis, quibus injuria affertur aliqua, præsto adsis, eos defende, tutare. Interea autem a nobis habe hoc pusillum laudis tuæ præconium, longe a Deo Opt. Max. mercedem locupletiorem expectans. Vale.

BARTHOLOMÆI RICCII

ORATIO

PRO ISAACO ABRAVANELLIO HEBRÆO.

QUæ duæ res in judiciis reo maxime adversari solent, hæ Isaaco ambæ, Princeps æquissime, in hac ejus gravissima caussa plurimum obsunt; altera, ut Judicem habeat vehementer infensum: altera, ut aliquo modo etiam extra caussam invisus, spretusque sit. Nam apud te Judicem caussam dicit, cui insidias fecisse accusatur; is autem ex eo est hominum genere, qui vel a majoribus suis Christianis summo semper odio fuerunt, ut quod in primis accusator in Judiciis dicendo sibi comparare studet, ut Judicis animum in suam sententiam traducat, reum Judici in contemptum, atque odium adducat, utrumque noster vel multo ante, quam res in Judicium veniret, se consecutum esse intelligat; qua una quoque ratione fretus, sua autem, quam abs te ingentem auferre speravit, cæca pecuniæ aviditate impulsus, hunc in id, quod vides, capitis discrimen conjecit, ut nisi, æquissime Princeps, tua in judicando singularis animi integritas, nostra autem summa innocentia nobis presto adessent, de nobis omnino actum esse judicaremus. Sed cum his duobus præsidiis septi teneamur, nihil est, quod adversarium nostrum quicquam pertimescamus. Continuo enim a tua illa summa æquitate facile impetrabimus, ut tantisper ejus Judicis personam sumas, qui in judicando ab omni animi perturbatione vacuus sit, quoad caussam perorabimus; a nostra autem hujusce tanti sceleris nulla prorsus cogitatione, summaque vel totius vitæ innocentia id consequemur, ut non solum hoc nos tanto, tamque atroci Judicio liberemus, ac caussam nostram tibi æquissimam probemus, verum etiam, ut ipsum auctorem, unde tantum scelus in nos tam impie conflatum est, tibi convictum, eodemque, quo nos ipse afficiendos esse speravit, gravissimo excruciandum tradamus supplicio. Tanta enim vis est innocentiæ, tantum præsidium, sicque per se ipsa septa, atque tuta est, ut adversus eam nulla malitia, nullus dolus, nulla fraus quicquam machinari possit, quod

non

non continuo falſum appareat, non ſtatim infringatur, non irritum concidat. Neque hic nunc genus ſuum ſibi quicquam obfuturum timet. Simus enim, inquit ille, miſeri Judæi in noſtra in Deum ſententia, ſitis vos Chriſtiani felices in veſtra, ſimus ipſi in noſtris moribus ſuperſtitioſi, ſitis vos in veſtris inſtitutis prudentiſſimi, integerrimi, nihil hoc ad Judicium pertinet, in quo una æquitas ſpectanda eſt, non genus, religio, inſtituta dijudicanda ſunt. Non, inquam, agitur nunc, utra melior ſit religio, verum, quo uno ea maxime comprobatur, ſanctiſſima judicandi ratio. Neque enim Judæus, neque Chriſtianus ſolo nomine religionem ſuam tueri debet, ſed recte agendo, æquiſſime judicando; in quorum altero cum verſemur, idque non ſolum utrique noſtrum, ſed omnibus Sectis commune ſit, nihil mihi Judæo apud Chriſtianum Judicem Gentis meæ religio obſtare debebit, quominus quod juſtum ſit, mihi adjudicetur, atque eo etiam minus, quod pari utrique Genti lege cavetur Divina, ut in vitam alterius quicquam ſcelerate ne cogitemus quidem, imo vero ut alter alteri opem, auxiliumque feramus, eadem Lege ſanctiſſima utrique jubemur. Nobis una ea quoque res non parvam ſpem ſalutis afferre videtur, quod Lanfrancus Gypſius, cui præſentis cauſſæ quæſtio commiſſa eſt, & ſanctiſſimus Vir, & prudentiſſimus Inquiſitor, quæ de nobis ſcire cuperet, ea nullo corporis cruciatu magis, quam per ſummam prudentiam, extorquere conatus eſt; credo, quod Vir prudentiſſimus continuo in cauſſa tantum dolum, ac fraudem verſari ſuſpicatus, eamque poſtea ſuam ſuſpicionem, cum quo magis in cauſſam ingrederetur, tanto is magis certiſſimis ſignis, ac manifeſtis conjecturis confirmaret, nobiſcum eo modo leniter magis, quam ſevere, atque adeo inique agendum eſſe, probe cenſuit; id quod rectiſſime ab eo factum eſſe, ſpero, hujuſce Judicii exitum, noſtramque Diis, hominibuſque æquiſſimam abſolutionem facile eſſe comprobaturam. Sed jam, quibus iſte falſis argumentis innocentiſſimi hominis caput petat, videamus, tametſi, antequam ea ſingula refellere aggrediar, ut hæc pauca hujus nomine mihi tecum, quaſi ratiocinari liceat, te rogo.

Duæ in primis, Hercules Princeps, inferendæ injuriæ cauſſæ eſſe ſolent; cum ſpe alicujus magnæ nobis propoſitæ utilitatis avide una, cum prius acceptam ulciſcimur injuriam; al-

tera,

tera, in eam impellimur: utra ego harum in hoc tantum scelus adduci potuerim, prius ut videamus, caussæ nostræ plurimum conducere videtur; ac quod ad injuriam. Hæc, Princeps, aut a te ipso, aut a tuis mihi illata sit, necesse est. A te; ipse omnium optime scis, utrum me aliquando offenderis; a tuis, isti quoque adsunt frequentes. Dicite vos, si quid caussæ mihi unquam dederitis, quamobrem suspicari possitis, ne eam vobis inultam relinquerem, hanc tibi tam nefariam cædem, vobis autem, Cives, tantum luctum compararem. Equidem, Hercules, [ut vere dicam] si qui me progenuit, parentem charissimum, si quos ego progenui, filios etiam chariores istiusmodi falsissimo judicio condemnasses, si ad alicujus sceleratissimi hominis libidinem crudeliter excruciandos judicasses, certe a Diis immortalibus omnia mala tibi imprecandi finem facerem nullum, ipse vero tantam istam injuriam ulcisci numquam auderem, numquam cogitarem. Nunc vero, cum ne verbo quidem abs te, neque a tuis violatus sim, non par est credere, me tam sceleratum esse, tam ab omni humanitate alienum, qui adversum te tantum facinus excogitassem, tuos item Cives in tantam calamitatem tam impie conjecissem. Quid vero si tantum abest, ut ego ullam abs te, atque a tuis injuriam acceperim, ut vos etiam de me optime meritos esse, & sciam, & omnibus sermonibus id usurpem quam libentissime? Nam cum Samuel socer meus, an pater magis? quem in parentis potius, quam in soceri locum jampridem accepi, acceptumque colui, cum, inquam, Samuel socer meus, homo multorum ac maximorum negotiorum, postremo in istam Urbem tuam cum universa familia commigrasset, sic a te benigne acceptus est, sic a tuis Civibus tractatus, ut si unus ex vestris fuisset, nihilo amantius accipi, nihilo benignius tractari potuisset. Quæ omnia in meum socerum a vobis benignissime collata, in me ejus charissimum generum existimo esse collata. Et ego tam ingratus, tam amens, tam impius essem, ut a quo benigne acceptus, amice, ac benevole tractatus fuerim, eum [quid enim gravius, quid immanius, quid per omnes Deos magis adversum?] per summum scelus ut de medio tollendum studerem, aut etiam cogitarem? Non is ego sum, Princeps, non meum genus, quod Principibus, quod Regibus tam fidele, quam

etiam charum, quod chariſſimum fuit, ſemper extitit. Atqui nullam, inquies, conſtat a me tibi illatam eſſe injuriam, nullum verbum vel non amice in te eſſe dictum; accedunt etiam, ut tu dicis, humaniſſima hoſpitia, meorum etiam Civium officia. Quid vero, ſi ingentis alicujus commodi ſpe compulſus in hæc ſcelera devenisti? Modo, Princeps, ne in tui iſtius Principatus ſpem veniſſe accuſer, in quam dementiam ne venirem quidem, ſi is eſſem, quem iſte ſuis dolis, ſuis fallaciis amentiſſimum finxit, atque adeo efficeret nunc, niſi una tua æquitate, ac mea ſumma innocenria prorſus ſuſtinerer. Sed hæc de Principatu ridicula ſunt. Quare ad veriſimiliora nunc venio. Magnam, inquis, pecuniæ vim inde conſequi poſſe te, ſperaſti. Primum quæro a quo? Nam nullum profers: & prudenter, ut cætera omnia, facis, qui, quod non opus eſt efferri, optime taces; id mihi tamen concedes, ut aliquem Principem mihi conſtituam, unde hanc pecuniæ vim tantam auferre potuerim. Is autem aut ex meis, aut ex tuis ſit, neceſſe eſt. Ex meis eum eſſe dicere, cujus prudentiæ ſit, vides; qui ſatis habent jam infinitos annos ſi a Chriſtianis tecto, atque Urbe quam anguſtiſſime accipiantur. Sequitur igitur, ut ingens hæc pecunia a Chriſtiano aliquo Principe mihi expectanda ſit. Quæro item ego de te, qui iſte eſſe poſſit Princeps, qui cum tantum pecunia valeat, ſic ſit a viris flagitioſis imparatus, ut in re tanta & conſtituenda, & conficienda Judæi opera, & conſilio uti cogatur? neque ejus Judæi tamen, qui paulo ante piraticam exercuit haud ignobilem, ſed ejus, qui cum a ſuis mercaturis, a ſuis pecuniis commutandis diſceſſit, nihil habeat præterea, in quo niſi imperitiſſime verſetur. At [vide, Princeps, quantum meæ cauſſæ fidam] valeam ego ſummo conſilio, facultatem etiam conficiendi negotii habeam, in me omnia ſint, quæ ad hoc negotium probe faciunt, abſolvendum. Quæ Reſpublica, quis Princeps tam imprudens, tam omnis rationis expers, tantum ſuum conſilium non cuivis infimo Chriſtiano potius, quam vel potentiſſimo Judæo credat, atque committat? Certe, Princeps, ſi pro tua prudentia mihi dicendum eſt, ipſe nunquam faceres: & recte, & ſapienter faceres: præſertim cum vulgo infidelitatis nomine genus noſtrum a vobis notatum ſit; ut ſi quis quid talis facinoris cui-

quam

quam nostrum credat, continuo sciat, si res prodatur, si casu palam fiat, non tam nos damnandos esse, quibus fides sit nulla, quam qui credidisset, graviter esse vituperandum, quod imprudenter crediderit. Quæ omnia, Princeps, eo spectant, ut plane videas, nullas a nobis tibi neque debuisse, neque potuisse fieri insidias. Nunc vero neque eas factas esse planius adversario nostro respondendo tibi comprobabimus. Ac, ut nihil isti de ejus præsidiis detrahamus, eum nos quoque ordinem, quem iste in accusando servavit, in defendendo fideliter conservabimus. Continuo igitur suam iste accusandi rationem sic instituit, ut me sibi Venetiis pecuniam dedisse dicat, qua ille mihi secreto quatuor navicularios ad certum diem conduceret, neque me etiam tum, quamobrem id vellem, quicquam, illi dixisse; eo vero me id sibi fidisse subdit, quod illo apud Priamum Malipetram familiariter sim usus; quam familiaritatem ut comprobaret, nescio quid de salsamentis insulsissime, de capsa vero sericæ vestis plena magis argute, commentus est. Utrum ego, Princeps, istius audaciam, an imprudentiam magis mirer, non satis video. Utraque enim tanta est in hac caussa, ut nulla major esse possit; qui te tantum Principem tam palam irridere sit ausus; suam autem accusationem tam pueriliter, tam inepte instituerit, atque confirmarit; de quibus utrisque in tota caussa conjuncte videbimus, nunc autem separatim de imprudentia tantum agemus. Unius amicitiæ, Princeps, altissimis radicibus [quantum ego intelligo] totius adversarii mei accusatio niti videtur, quas cum ego prorsus evellero, hoc est, cum nullam mihi cum eo familiaritatem fuisse probaro, eodem tempore omnis ista falsa accusatio ut corruat, necesse erit. Fateor equidem, Princeps, me, ex quo Venetiis sum, Priami Malipetræ nobilissimi Viri familiaritate usum esse, atque ad eum domum negotiorum meorum caussa sæpius adiisse, ubi istum quoque [ut vere, atque ex mea natura agam] interdum vidisse me non inficior: ullum vero usum, atque adeo verbum cum eo mihi familiarius intercessisse, quam quod cum eo hominum genere, qui aut ostium ingredienti aperiant, aut aulæum tollant, intercedere solet, prorsus pernego. Id quod vel istius ipsius argutissimis probabo argumentis; ac continuo, illo ipso, quo iste tamquam arce totius præsidii sui utebatur, cum

summi

summi pretii capsam a me sibi aliquando creditam fuisse profitebatur, comprobabo. Nam si mihi cum isto tantus usus, tanta familiaritas, tanta benevolentiæ conjunctio, quantam falso jactitat, unquam fuisset, par esse videtur, ut iste meus Pylades suum æs alienum mihi interdum indicasset, de sua mala, & afflicta fortuna mecum quereretur aliquando, atque etiam liberius a me aliquid opis petiisset. Quod cum ego scirem, quæro de te, Princeps, utrum me credas, isti rem tantam commissurum? Utrum, inquam, homo Judæus Christiano ære alieno oppresso, hoc est, qui rem suam pessime gessisset, alienam etiam perdidisset, tantam, ac tam expeditam pecuniæ vim credere in animum induxisset? Profecto, [quæ tua prudentia est] non respondebis: ut sequatur, aut nullam mihi cum isto tantam amicitiam fuisse, aut, si fuit, de capsa omnino nugatorium, afflictum, falsumque esse. Omnibus hominibus, Princeps, proxima una res saluti est pecunia; Judæo autem etiam cum salute conjunctissima est. Eam enim si illi adimas, animam ademeris; quippe qui in ea possessiones suas, ædes, proventus omnes, victumque denique habet collocatum. Et ego meam tantam, vel multo etiam minorem, tam nequiter in isto nebulone absumpsissem? tam perdite profudissem? quam, vix fiducia accepta, multiplicatis etiam usuris, accommodamus, ego eam turpissimo decoctori tam large, tam improbe, tam inepte prodidissem? Hoc puto nulli homini, qui alicujus sit mentis, omnino veri quicquam fieri simile. Præterea vero si ea inter nos amicitia conjuncti sumus, quam iste non cessat prædicare maximam, cur ego continuo cum eo libere non ago? cur rem totam amicissimo homini non aperio? cur illum in meum etiam consilium non adhibeo; ut hoc modo potius ex fidelissimo multo etiam mihi fideliorem efficiam, quam illo suspiciosum? qui hanc amicitiæ, ac fidei suæ injuriam indigne factam moleste ferens, rem, posteaquam aut ipse sua malitia quid molirer, suspicatus esset, aut a me tandem amice intellexisset, ad inimicum meum deferret? consilium meum patefaceret? mihi insidias faceret? ut, aut isti hoc modo multo ante, aut saltem cum pecunia dinumeraretur, omnia communicanda essent: quod cum nusquam factum sit, sequitur, ut nulla etiam pecunia data sit. Perge vero tu, vetus, atque integer amice, veras ami-

amicitiæ caussas recensere. Proba mihi tecum in aliquo negotio societatem ullam fuisse; proba vicinitatem; proba communem Patriam longissime gentium agentibus; proba paria studia; proba parem ætatem; denique aliquam in tota vita mihi tecum intercessisse familiaritatem proba. Si horum unum efficis, tibi sum amicissimus, mihi etiam graviter infensus. De salsamentis quoniam ridiculum est, id tantum dicam: si nobiscum ii quoque amicitia conjunguntur, qui sciunt, nos aliquando amicis aliquid dono misisse, tecum, Princeps, omnes latrones, sicarios, fures, sacrilegos summa amicitia conjunctos habes. Omnes enim sciunt, te quotidie multis in Italiam, in Hispaniam, in Galliam, in Germaniam nobilissima mittere munera. O stultum, ac ridiculum amicitiæ ratiocinatorem. Amicitiæ integerrimæ, atque istiusmodi, quam tu significas, ea item signa sunt verissima, pro amico se omnibus periculis offerre, sponsionem ingentem pro eo dissolvere, eum ære alieno liberare, nullis sumptibus pro illo parcere, præsto illi in consilio adesse, re nusquam deesse. Quid autem, sceleratissime, si mihi es, quem profiteris, unus ex meis intimis, ac quod cum omnibus amicitiæ vinculis conjunctus sis, cur ego te infensissimum hostem experior? cur nulla caussa tantum amicum prodis? cur æs tuum alienum meo sanguine studes dissolvere? cur te nocentissimum liberas? me innocentissimum accusas? cur denique, cum Pylades sis, non agis Pyladem? non vincis Orestem non esse Orestem? Verum tantum abest, ut ulla inter nos amicitia intercesserit, ut vix umbra cognitionis agnoscatur. Jam ego te videre arbitror, Princeps æquissime, quo loco nostra defensio, quo istius accusatio constituta sit; cum quo uno ille potissimum amicitiæ præsidio nitebatur, id totum ei ereptum, atque eversum esse constet, planissimeque a nobis probatum sit, nos ne istum quidem in via pro cognito salutasse. Si quid tamen scrupuli restat, quo tibi nondum satis liqueat, nunc id prorsus, ac quam paucissimis, tibi evellam. Attende igitur, quemadmodum facis. Hic enim est, Princeps, aut nusquam alibi in tota caussa, ubi istum vel ejus ipsius verbis condemnatum habeas. Dicis [redeo ad te, Cæsar,] me eam pecuniam tibi Venetiis dinumerasse domi meæ, ubi tu quidem nunquam fuisti. At hoc ipse, si id ego pernegem, tuis testibus,

quo-

quorum habes fideliſſimam manum, & in mentiendo exercitatiſſimam, facile factum convinces; quin etiam, ſi opus ſit, te mecum aſſidue habitaſſe, pari probabis ratione. Certe de tempore ex iis nullum habere potes, qui malitiam tuam adjuvet, qui ex compoſito tibi reſpondeat. In eo enim te ipſe jugulaſti, confodiſti. Dic, quęſo, bone vir, quo tempore a me pecuniam eam Venetiis accepiſti? quid frontem contraxiſti? quid? Num tandem ſenſiſti, te non omnia vidiſſe, cum fraudem iſtam tuam conciperes? Sed ſero ſapis. Dic, inquam, quando eam pecuniam a me Venetiis acceperis. Quid? non dictum eſt ſæpius? neque tamen ſua audacia dejicitur. Ut arroganter. Hoc item loco tibi eſt iterandum. Imo perlibenter; etiam centies. Idibus Auguſti. Quod negare non poterat, audacter faſſus eſt. Tu vero, Princeps, jube, iſtum quamprimum in crucem rapi, ſtrangulari. Se enim hac ſola voce confecit, laqueum ſibi conſtrinxit. Ego eo tempore, Hercules Princeps, quo iſte a me pecuniam eam Venetiis accepiſſe fingere pergit, hic Ferrariæ in tua Urbe apud ſocerum meum graviter ægrotabam: cui rei mihi teſtis eſt univerſa ſoceri mei familia; teſtis eſt vicinia; teſtis eſt denique Antonius Muſa medicus tuus, qui mihi ſua prudentia, ſua diligentia, ſuis ſaluberrimis pharmacis priſtinam valetudinem reſtituit. Lege tu horum teſtimonia. TESTIMONIA. Ecquid hoc eſt, Princeps? Etiam iſtum ceſſas jubere in crucem rapi? etiam tria ligna illa, ſcalam, funem, tabularium expediri non jubes? Numquid amplius expectas, quo magis iſtius ſcelera tibi ante oculos proponantur? Teſtes habes honeſtiſſimos Viros, qui fatentur, quo me iſte tempore Venetiis in te ſcelerate cogitare accuſat, eo quaſi domi tuæ, de ſalute mea graviter dubitare. Sed his humanis teſtibus divinus accedit teſtis Deus, qui iſti in tanto ſcelere id conſilii, atque mentis eripuit, ut videre non poſſet, utrum ego per illud tempus Venetiis, an Ferrariæ agerem. Hoc Dei beneficio factum eſt, Princeps, qui ſuis [quæ ejus ſumma eſt prudentia] per hæc etiam, quæ nobis videntur adverſa, ſalubriter opitulatur. At vide, quæſo, Princeps, querebar ego tum, atque angebar maxime, me Venetiis ad mea negotia adeſſe non poſſe, ubi ſi ego affuiſſem, multo gravius vel incolumis ægrotaſſem; majuſque, ac pernicioſius negotium mihi comparaſſem, ut a mea etiam

ab

ab illa Urbe tum absentia vel multo magis, quam a tuo medico in eo morbo curando, mihi salus mea procurata sit. Sed redeo ad caussam. Etsi hoc loco percommode possem perorare, Princeps, cum accusatorem nostrum probe, atque sua confessione condemnatum habeas; pergam tamen reliqua etiam tibi planius explicare, ut veritas ex omnibus partibus magis elucescat. Quatuor navicularios se mihi conduxisse dicit, eorumque nomen omnium protulit. Sed cum hi quærerentur, duo tantum reperti sunt, reliqui abhinc triennium decessere. Quid hoc est, Princeps Hercules, nisi ubique fallaciam in negotio versari? nisi mihi, tibique fraudem intentari? cur, inquam, duos mortuos nominas? an ut ab iis tua scelera intelligi non possint? At ipsi sua taciturnitate tuum scelus clamant, tibi ad suum Judicem litem intendunt, quos in falsum testimonium etiam mortuos vocas. At qui vivunt, tecum sunt, te absolvunt, cum dicant tantum abesse, ut a te ullam pecuniam unquam acceperint, ut te etiam ne de facie quidem novisse se, Deos omnes constantissime jurent. O callidissimum accusatorem, o prudentissimum cujusvis sceleris fabricatorem, qui etiam rem tantam, tantum facinus nullis certis, atque etiam [si Diis placet] mortuis testibus probare credidisti; qui hoc tantum judicium vel unius tui sceleratissimi fidei committendum esse tibi finxisti, ac ad tuarum istarum [ut suo loco docebimus] falsissimarum literarum primam lectionem prudentissimum Principem in summum furorem rapere nefarie tibi persuasisti. Quid autem, Princeps, quod in ipsa pecunia recensenda, sua etiam nimia diligentia malitiam suam indicat? Ait enim, bis a me ad eam rem sibi pecuniam datam esse, ac non solum ex qua crumena ea data sit, sed, cum ea diversi generis esset, quanta ex quoque genere fuerit, memoriter etiam profert. Quid opus erat, Princeps, notare in pecunia præter numerum? Quid, inquam, quanta ex auro? quanta ex argento? ac quo utraque cuneo signata esset, opus fuit adscribere? Omnia sunt, Princeps, ut vides, ad nimiam diligentiam exquisita, ut hac quoque ratione suum mendacium tegeret magis, ac suam fraudem condiret commodius. Sed quasi pictor ille facit, qui cum manum de tabula tollere nescit, figuram nimio studio magis deformat, quam eam perfecte absolvit. Pergit au-

tem: sub mensis Septembris exitum cum apud me esset, ad quem ventitare solebat, duos Cives tuos intervenisse, meque cum eis, se præsente, quasi uno jam ex nostris facto, de toto negotio longiorem sermonem habuisse, ac eorum alterum, cum jam discederet, sibi in altero humero manu imposita, quasi blandientem dixisse. Cæsar, fac nobis fidelem operam præstes, &, quæ voles amplissima, a nobis postea spera. Nunc aliquanto, Princeps, prudentior factus est accusator noster. Constat enim, tunc temporis me Venetiis esse; fortasse etiam, quos iste nominat, Cives tuos. Sed hoc Gypsius tuus Vir semper prudentissimus satis esse non putavit; & recte putavit. Non enim satis est, si de tempore tantum constet. Multa enim alia ad veram cujusvis rei probationem ut constent, necesse est. Nam si ita cuique fides habeatur, qui aliquod sibi tale somniarit, vel ad aliquam suam utilitatem confinxerit, quotidie hujusmodi falsissima tibi exercenda essent judicia. Hæc quidem ad criminationis istius ordinem valent aliquid, ad rem autem probatiorem efficiendam nihil infirmius, nihil languidius excogitari potuit. At nos contra videamus quæ caussam nostram, hoc est, veritatem, maxime sublevant. Ut cuique arti, Princeps Hercules, sua sunt propria, atque certa instrumenta, quibus ad res cæteras postea conficiendas opifices utantur, sic in hominibus etiam evenire constat. Horum enim alii studiis liberalibus, alii militiæ; mercaturæ alii; agro colendo complures; alii aliis rebus aptiores nascuntur. Neque enim qui homo uni studio idoneus erit, continuo omnibus idoneus erit. Ut etiam mulieres, quæ acu valent, ineptiores postea sunt ad lanam, ad colum, ad telam. Huic autem nostro ab ejus majoribus mercaturæ studium est, qui Neapoli apud Alphonsos, Ferdinandos, & reliquos Reges amplissima negotia summa cum integritate gessere; hos hic secutus in eorum moribus, atque institutis permansit. Quid vero cum mercatore sicario, atque latroni commune sit, equidem videre non possum. Id certo scio, quod mecum etiam omnes homines sciunt, solere magis mercatores a sicariis interfici, a latronibus spoliari, quam eos contra artem illam in alios exercere. At ut multa instrumenta, quibus in diversis rebus recte utamur, etiam fabricantur; sic minime mirum, si mercator audax, re,

aut

aut naufragio aliquo facto, aut flagitiis, ac luxuria, perdita, spe aliqua maxima sibi proposita, fore, ut brevi ad libidinem suam redire possit, ad sicam, ad latrocinium rationes suas convertit. Recte quidem, Princeps, nihil opportunius; quando nullum hominem non solum ad sicam, sed etiam ad omnia, quæ excogitari possint, graviora facinora, quam hic noster est, magis paratum, magis promptum umquam vidisti. Continuo tanta hujus est audacia, ut verbum nullum integrum in hac caussa protulerit. Vultus qualis sit, quod a mortuo nihil distet, omnes, qui adsunt, vident: tanta autem in cruciatibus versata perpessio, ut pœne etiam, quæ numquam ei in mentem venerunt, ad funis mentionem ex istius falsissima accusatione confessus sit. Hujus vero ea naufragia sunt, quæ a tua ista falsissima accusatione illi parabantur, horrida illa quidem, quæ non solum ejus rem absorberent, sed vitam etiam misere devorarent. Sed Deus Optimus tempestatum omnium tranquillator insanos tuos istos fluctus, mare tuum istud totum inversum una in Gypsii prudentia, & tua summa, Hercules Princeps, justitia composuit, sedavit. Hujus, inquam, sic res affecta est, sic attrita, sic hic denique decoxit, ut pauci Christiani mercatores reperiantur, qui aut dinumerata pecunia, aut regiis mercibus cum eo conferri possint. De hujus autem luxuria pudet dicere, Princeps. Non possum enim sine Christiana offensione fateri id, quod res est; dicam tamen, quoniam id caussa mea postulat. Utinam nostri non magis isto morbo laborarent, quam gens Hebræa; multo cum præsentibus nostris commodius ageretur; posteris autem utilius consuleretur. Quis enim umquam Hebræus auditus est in ganeis, in alea, in Venere, in profusis totius familiæ sumptibus rem suam profudisse? confecisse? Cui autem non notum est, omne illud genus parce, ac frugaliter agere? in diem etiam victitare? ut qui eam vivendi rationem habeat institutam, nullius luxuriæ ne suspicionis quidem merito insimulari possit. De spe vero jam supra purgatum est, etiamsi maxime indiguisset, nullam huic omnino afferri potuisse. Quibus rationibus plane vides; omnia, quæ ad tantum facinus committendum pertinent, prorsus huic nostro defuisse; omnia autem adesse, quibus non committeret. Quid vero, Princeps, si in isto ea o-

mnia insunt, quæ ad tam falsam, tamque nefariam accusationem pertinent? Vide, quæso, quod os, quæ lingua, quæ confidentia; ut cum se etiam in manifesto scelere deprehensum esse videat, nihilo tamen vultu tristior sit, oratione magis impeditus, quam si de re ageret lætissima; quin etiam ista sua audacia, nullo alio argumento, sperat suam accusationem tibi prorsus esse comprobaturum. L. Cassius æquissimus, ac prudentissimus Vir in occultis maleficiis in primis quærendum esse dicebat, *cui bono*. Existimabat enim sapientissimus Judex nulla alia re magis homines ab honesto transversos agi posse, quam commodi, quam utilitatis caussa, quam ex maleficiis consequerentur. Hæc quoque, Princeps, quanta isti cum præsens, tum etiam sperata fuerit, vix dici potest. Continuo enim iste se suo isto scelere ex carcere in libertatem, ex morte in vitam exemit. At in quam, Dii boni! se vitam exemit? quam tu, Hercules, perpetuo jure optimo coleres, in summo honore haberes, quam omnibus dignitatibus cohonestares, extolleres. Nam quod sibi in amplissimis conjuratorum copiis optime cavisset, illud minimum futurum erat præ iis, quæ ipse in illum [quæ tua summa est benignitas] quotidie largissime conferres. Tu, tu, inquam, omnium sceleratissime, qui rem tuam, atque adeo alienam per omnem luxuriam consumpseras, neque etiam domitas animi tui cupiditates effrænatas haberes, non ut te tam atro carcere liberares, non ut capitis judicium devitares, sed magis ut vetus institutum tuum servares, ut antiquum turpissimæ vitæ tenorem retineres, ut juventuti parem ageres senectutem, hoc est, ut totam ætatem coinquinatissime consumeres, hanc lucrosissimam viam adinvenisti, turpissimam hanc rationem iniisti. Sed ad rem redeo. Noster iste optimus, ac fidelissimus Consiliarius dicit, se ex eo sermone, quem hic cum tuis Civibus fecit, rem totam percepisse. Silicet, Princeps, quod hic antea celare istum voluisset, perpetuo noluisset, neque scisset, cum ad se Cives tui accessissent, istum, si casu antea is affuisset, aliquo allegare, foras ei novum aliquod negotium dare, ne suis sermonibus interesset: aut si id tum commode nequisset, rem in aliud tempus differre certe potuisset: profecto quod huic initio non indicasset, numquam tam stultus, tam im-

imprudens esset, qui id ei umquam postea patefaceret. Quin etiam argutus esse voluit, cum nescio quid se palpo ab altero conjuratorum tactum esse dixit. O facetissimum nebulonem! Argumentis fortissimis res maximæ, non ridiculis, in judiciis probantur: dubia judicia certissimis rationibus firmantur, non autem istis tuis ineptiis. Contra mihi, Hercules Princeps, in hac mea defensione evenire sentio, atque isti in ejus accusatione paulo ante accidere videbam. Iste enim quibus accusationem suam satis confirmaret, nulla argumenta reperiebat; mihi contra in ea ipsa diluenda tot occurrunt, ut multa etiam isti cogar condonare. Hoc tamen omittere non possum. Habet hic noster Ferrariæ, in Urbe tua, Princeps, socerum suum, quem dictum est, hunc parentis loco pie colere, pecuniosissimum Judæum, cui, nullum dubium est, si umquam illi tantum scelus in mentem venisset, quin in primis magnopere timuisset, quin ejus rationem ante omnia diligentissimam habuisset. Neque hoc loco, Princeps, quæ possem, omnia persequor; id tantum dico, graviorem adversarium reum hominem nullum habere, quam sciri, se esse maxime pecuniosum. Nam si Vir innocentissimus, idemque Christianus in judicium adducatur, modo rumor sit, eum bene magnam pecuniam in arca possidere, continuo omnium sceleratissimus sit. Testes locupletissimi jurati, injurati undique accurrunt, qui multo plura, multoque graviora, quam, quæ quæruntur, in eum ne syllaba quidem discrepantes testantur. Quæsitor omnia versat, commovet, investigat, etiam, quæ numquam fuerunt, in caussam suam accommodat. Judex uni ejus pecuniæ vehementer inhians omnia audita, tacita admittit, nihil ei non liquet, nihil minus patet; ut si post multas cujusque generis, neque minutas compilationes factas, is absolvatur, una pecunia non absolvitur. Damnatur semper pecunia, ut quæ conclusa in arca omne facinus admiserit, Deos omnes violarit; quasi ex illa arca non Pandoræ bona, sed reo mala omnia emittantur. Quid quod sæpius una cum bonorum omnium spoliatione, cum præsenti pecuniæ direptione, ne apud populos injuriam sibi factam queri possit reus, ut crudelissimus parricida in culeum insuitur? Et hic socerum suum vel ad minimam facti istius suspicionem in tantam calamitatem con-

 jecis-

jecisset? illi sua manu laqueum contexuisset? constrinxisset? non potius [si id omnino illi in mentem venisset] eum prius Venetias accivisset ? aut quovis gentium impulisset? ne tu in eum tam facile manus injicere posses? quam cum is hic esset, quasi jam in carcerem conjectus? præsertim cum ejus operam in hoc scelere huic ulli usui venire, neque iste insimularit ? Hoc tuo judicio, Princeps, relinquo; tu animo tuo vide, utrum tanta imprudentia in prudentissimum virum, cujus consilio tui in tanto negotio usi essent, cadere potuisset. Vos vero, viri Ferrarienses, quicunque estis, qui tantum scelus vestris animis concepistis, qui tantum Principem vestrum de medio tam nefarie tollendum esse cogitastis, pro cujus salute vestram, liberorumque vestrorum salutem omnibus periculis offerre deberetis, satis mirari non possum, quod ab uno Hæbræo tantum apparatum quæsiveritis. Num is fortasse navicularioium magister, & princeps erat ? Num ordinem in exercitu duxerat ? militiam exercuerat ? qui Centuriones haberet, quibus imperaret, ut præsto ad diem adessent cum legionariis militibus? Num vobis deerant familiarissimi, iique fidelissimi amici, quibus hæc tutius, & prudentius mandaretis? Nisi forte fatale erat, ad Christianissimum Principem interficiendum, ut ex gente Judaica aliquis adhiberetur. Sed jam vobiscum, Cives optimi, vere ago, vobisque & vere, & vehementer gratulor, quod iste sceleratissimus, neque quem opportuniorem ducem, neque quas paratiores copias potuisset, nominavit. Siquidem quem is ducem illis attribuit, jam tres annos oræ Illyricæ in præsidiis præest. Nam cum hic Venetiis quæreretur; eum totum illud tempus apud Illyricos egisse, intelligitur: ut iste aut in mortuis, aut in longissime gentium agentibus scelus suum falsissime abscondere conetur; nisi ab ora illa Illyrica eas copias ad tuum Caput aureum continuo transmittendas esse arguat, atque adeo ad eam oram, in quam tu ex equo descendas, illæ ex navi exponantur, repente in te impetum facturæ. Pudet me, Princeps, tam facilem caussam defendere. Nusquam enim adhuc non facillime probatum est, ab adversario nostro omnia falsa, fictaque in nos esse; nostra contra omnia in eum verissime defensa. Hoc vero, quod nunc dicturus sum, tametsi cum defensione nostra maxime conjunctum est, multo tamen magis ad

te

te pertinere senties. Istum enim, quantum in ipso fuit, integritatem tuam, benignissimum istum animum tuum in summum scelus perdite conjecisse, facile intelliges. Isaacum de nocte a tuis lictoribus capi jubes. Omitto nunc, quod in ejus charissimi soceri funere capitur. Vix enim ab illius sepultura redierat, cum repentino in carcerem rapitur. Nihil commemoro hujus uxori conduplicatum dolorem, quæ cum parentem paulo ante extulisset, nunc virum vivum sibi quasi efferri videret. Tantum id persequor, quod judicii proprium est. Hic in prima vigilia in carcerem conjicitur; postridie mane res in vulgus emanat. Continuo varii rumores per Urbem dissipantur. Omitto dicere in quam omnes sententiam. Jam unus, item alter, & multi intercesserant dies, cum res est in inquirendo. Quid autem interea, Princeps, tui isti Cives, quos iste non solum tibi indicarat, sed etiam ex quodam loco de facie demonstrarat? quid, inquam, faciunt? num vitam suam fastidiunt? num securim in cervicem expectant? cur non interea, dum facultatem habent, fugam arripiunt? saluti suæ non consulunt? cur in foro quotidie versantur? cur ad te adeunt? tecum sunt? comedunt? num stultissimi sunt? num insanissimi? nulla ne tanti sceleris conscientia commoventur? Quid quod cum tu dedita opera Judæum in sermonem sæpius inducis, horum vultus, orationemque probe observans, nihil eos unquam commutatos vides? lætos ad te accedere, lætiores etiam discedere planissime sentis? Num hæc parva signa sunt, Princeps, hosce ab omni culpa abesse? nulla hujusce tanti sceleris suspicione teneri? ab isto improbissimo, atque audacissimo homine omnia falso esse inventa, atque conficta? At in ejus constantia confidebant; in facti levitate spes erat; in Quæsitoris negligentia maxime erigebantur. Scilicet in uno Judæo salutis suæ spem ponebant. Cædem Principi moliri, levissimum est erratum. Gypsius autem Quæsitor, & omnium ingenio socordissimus, & industria negligentissimus hanc animi securitatem, hanc timoris vacuitatem istis præbebat. Eorum conscientia, Princeps, se scire omni culpa carere, se non esse ex conjuratis, [si qui tamen sunt] illos in Patria, atque adeo tecum, assidue retinuit, orationem stabilem, lætum vultum illis conservavit. Jam vero propius ad tuum periculum accedo,

Princeps, cujus sola cogitatione vehementer commoveor. Quare, si quid in eo a me paulo amplius desiderabis, id doloris mei magnitudini condonabis. Si alteri, inquam, Princeps, eorum Civium, quos iste sceleratissimus in te conjurasse indicarat, forte aut Bononiam, aut Mantuam iter [ut accidere solet] interea evenisset: sed quid Bononiam? aut Mantuam? si horum, inquam, alter vel animi caussa per hoc tempus rus, in suburbanum aliquod suum exiisset, non tu continuo suspicatus eum ita fugam moliri, saluti suæ consulere, lictores tuos ad eum non ad te revocandum, sed manicis etiam arctissime constrictum in carcerem conjiciendum extrusisses? non eodem tempore de altero idem in Urbe statuisses? non amborum bona omnia, fortunas proscripsisses? non familias universas aut supplicio, aut saltem exilio mulctasses? Dii boni! qui tum in Civitate tumultus? quantus timor omnium Civium animos occupasset? qui vero horum liberorum clamores? qui questus? qui uxorum fletus? qui ejulatus? quæ lamenta? cum hi charissimos parentes, hæ viros optatissimos, quos plane scirent ab hac omni culpa alienissimos, per summum scelus necari, atque excruciari intelligerent? cum se Patria, Patriis laribus expelli? bonis omnibus exturbari, spoliari, in calamitosam, ac miseram vivendi rationem præcipites dejici viderent? Quis vero tuus, Princeps, dolor? quis mœror? cum in istos abs te impie factum esse rescivisses? Neque enim diu tantum scelus delitescere potuisset. Deus enim est, Princeps, qui sceleratos prorsus beatos esse non sinit. Quo, inquam, cruciatu, animus tuus afficeretur? quibus conscientia tua furiis agitaretur? Œtæus Hercules [crede mihi] non sic est venenata veste discerptus, ut tu quoque, Hercules, in stratis tuis Regiis tuæ conscientiæ furore discruciareris. Hinc enim te horum injuria, cruciatus, illinc tuus error torqueret; quiescere non sineret; obversarentur tibi dies & noctes ante oculos horum innocentissimi manes; filiorum turpissima, ac calamitosissima exilia in mente hærerent infixa; e memoria imprudentiæ tuæ recordationem evellere non posses. O tui similium omnium sceleratissime! si te hujus Judæi, qui omnino homo est, ac ad tuam imaginem factus, nihil miserebat, num te tuorum saltem misereri debuit, qui innocentissimos, ac nobilissimos Cives securi tam inique subjiceres? eorum familias

in

in cruciatus maximos? facultates, domos, rem universam direptioni objiceres? non denique apud animum tuum scelerum tuorum conscientia tantum potuit, ut æquissimo Principe in tua malitia tam nefarie non abutereris? cui si scelus tuum istud unquam postea patuisset, quod omnino patuisset, tantos cruciatus, tantos furores tuo isto nefario scelere comparasses? Sed furia est iste, Princeps; tu vero solus es, quem Dii omnes diligunt, quem tuentur, qui ex hoc quoque tanto periculo te tam feliciter eripuerunt. Sed hoc quoque loco cætera persequi non possum, quibus istam tuam felicitatem divinam esse comprobem. Quare ad caussam redeo. Postremo igitur cum rem iste diutius trahi videret, neque judicii moram æquam ferre posset; horam enim illam non videbat, qua nos non de nostro scelere, sed de sua fraude condemnaret; quid hoc est, inquit, judicii? non putabam, cum de Principis capite ageretur, tam lente, tam remisse agi oportere; sed vel ad levissimam culpæ suspicionem continuo rem totam absolvi, reum condemnari, in crucem tolli. Sed quando ad nimis lentos Judices agitur, quique, nisi hominem gladium ex confossi corpore educentem viderint, reum illum cędis non sint condemnaturi, longius ego hoc non faciam, mihi in manifesta caussa non deero. En, inquit, Gypsi, literas hujusce manu ad me, atque ad Centurionem conscriptas: en Civium Ferrariensium ad eum alteras hac eadem de re scriptas. Qui aliud quærat amplius in hoc judicio, is nimis est diligens, parumque in judicando versatus. Arrogantiam spectatam, insolentiam insignem, qui tantum judicium tam temere fieri jubeat, qui ad suam libidinem Judicem deposcat. Sed nimirum. Magis enim iste in judicii mora timet, quam ipsi nobis in ejus celeritate metuimus, quippe qui in una hujus præpropera festinatione spem suam omnem, caput nostrum posuerat. Sed, apud quos Judices acturus esset, prorsus ignorabat. Equidem, Princeps, eos parentes merito accusari existimabam, qui filios suos aleam, ac infames chartas scire permitterent, quando his duobus morbi generibus nihil perniciosius ad rem perdendam, ac familiam in omnes egestates conjiciendam magis paratum; nihil ad Deos omnibus convitiis dilacerandos magis promptum, magis præsto adesse, viderem. Nunc vero iste impurissimus, ut aliter sentirem, sua effecit iniquitate, eos videlicet

licet

licet magis parentes graviter puniendos esse, ut judicem; qui vel literas filios suos conformare magistris traderent docendos, si ab ea facultate mortem nefariam consequerentur. Nam si Isaacus nullum calamum novisset, literam scribere nescisset, nunquam in hoc tantum capitis periculum venisset; ut iste sacrilegus in isto suo crimine sic se scelerate egerit, ut sanctissimam etiam literarum facultatem coinquinare non dubitarit. Sed qui Deus in cæteris istius flagitiosissimi latronis confictis dolis nos non deseruit, is hoc quoque loco caussam nostram non deseret. Has igitur literas, neque admodum diligenter; res enim aperta est; perscrutemur, si quid inde elici possit, quamobrem istius magis, quam nostra manu, scriptas esse probemus. Continuo earum & oratio, & scripturæ ratio cum rei veritate minime consentit. Profer tu eas, quæ ad Centurionem scriptæ sunt. Vide continuo, Princeps, primam epistolæ literam, ut belle est punctis in medio pueriliter ornata, atque depicta. Vide, contemplare, ut ineptiolis est distincta. Hic ne tam ineptus, tam parum consideratus, qui de re tanta scribens, ita imprudenter luderet, atque has ineptiolas consectaretur? At manum dissimulabat. Scilicet in una tantum litera dissimulanda cautus fuisset, qui integram epistolam sua germana scripsisset manu. Iste, Princeps, qui literas protulit, eas etiam scripsit, ut mox istæ ipsæ literæ fatebuntur. Quod vero ad orationem, nulla magis insulsa, magis fatua legi potest. Neque enim hic meus totam ætatem in amplissimis, ac nobilissimis negotiis versatus, quique istorum annorum volumina literarum scripsit, tam negligenter, etiam dedita opera, scribere potuisset. Sed propius ad istum accedamus. Iste, inquam, Princeps, dum in sola manu Isaaci simulanda omne suum studium ponit, in oratione sua dissimulanda parum attentus fuit. Nam cum sua cuique, Princeps, & genti, & ætati semper fuerit in sermone certa quædam, ac propria loquendi ratio, Venetis antiquus in proferendo usus fuit, ut *g* literam multis vocibus adimerent, ut in *guadagno*, in *guerra*, *guasto*, *guarito*, *guardo*, & in ejusmodi non paucis aliis, quas absque *g* hoc modo pronunciarunt, *vadagno*, *verra*, *vasto*, *varito*, *vardo*: quam proferendi rationem hodie quoque quidam in ea Urbe retinent, quos illi Castellanos, Andreanos, Canaregios appellant, qui in extremis

Ur-

Urbis angulis positi sunt, neque a sua illa sermonis antiquitate ad ullum cultius loquendi genus unquam traduci potuerunt. Ex quorum genere hic noster est adversarius. Ad duo enim Castella & natus est, & habitavit. Itaque cum ei dicendum accideret, *guadagnar*, oblitus quam personam ageret in scribendo, sua voce manca usus est *vadagnare*. Hanc eandem literam *g* interdum in *u* isti ipsi Veneti commutant. Nam ubi cæteri *Agosto*, isti *Avosto* sua lingua proferunt: qua voce iste quoque usus est; cum ait in hac ipsa, & in ea, quam ad se a me scriptam esse fingit, epistola; *alli XXVII. Avosto*. Quæ ratio, Princeps, eo pertinet, ut, cum iste Venetus sit, noster autem Neapolitanus, verisimilius esse constet, eas literas a Veneto, quam a Neapolitano, & scriptas esse, & dictatas. At ita dedita opera locutus est. Neapolitanus, qui sua manu uteretur, sua item lingua non uteretur? Quid id esset artificii, quid consilii, ego nescio. Is id dicat, si forte quid hallucinatur. Sed nihil habet. Jam conscientia premi cœptus est, jam tacendo fateri incipit. At ego habeo, qui rem hanc totam tibi longe planius absolvam. Audi igitur. Ad harum ambarum finem est imperitorum hominum dicendi modus; *nec alia*. Hoc modo etiam scriptum. Qui literarum exitus cum nostrarum literarum exitu minime consentit. Quæras enim licet ex omnibus nostris literis ad mercatores Venetias, Romam, Neapolim, Ferrariam, si in ullis eam dicendi formam repereris, fateor meas hasce literas esse; litem cedo; securi cervicem meam sponte subdo. Quid vero si ego contra istius in literis ostendam, istum eam scribendi consuetudinem assidue servare? nullas hujus literas hoc fine non terminari? Nonne continuo in nostra manu hujus verba agnoscentur? Lege tu palam harum partem eam literarum. *LECTIO LITERARUM*. NEC ALIA. Lege item harum partem eandem, NEC ALIA. Vides in omnibus eundem dicendi modum NEC ALIA; in meis autem nullum positum esse. Utrum modo id verisimilius sit, an ego eam dicendi formam alienam in meas literas introduxerim, an isti meam manum effingenti, neque sui totius oblito, hæc vox familiaris, ac etiam per imprudentiam in scribendo irrepserit? Certe literarum formæ scripturam meam aliqua ex parte imitantur, verba vero tua prorsus esse,

ipsa,

ipsa, atque adeo ipse testamini. Sed antequam hasce istius literas deponam, ostende item alterius epistolæ literam primam. Vides, Princeps, ut hæc eadem forma iisdem interpunctionibus sit pueriliter scripta, ac quasi fabricata, quibus eam esse paulo ante in adulterina epistola demonstrabam, ut iste optimus literarum aliarum dissimulator vel in prima litera a suis discedere nescIverit. Age vero, quæ tuarum est literarum [nam meæ numquam istæ erunt] prudens subscriptio? Sic enim subscribis: *Isaacus Rafanellus*. Dii boni! Num ego fortasse olitor ex agro Clodiano? qui me *Rafanellum* appellem? multo meum genus, quam reris, Cæsar, est nobilius. Sed quæras item, Princeps, in meis veris subscriptionibus. Si umquam istiusmodi reperies subscriptionem ullam, me, liberosque meos quovis cruciatu necandos do, trado. Familiæ meæ, Princeps, nomen est Abravanellius, sed quoniam Christianis omni ludibrio sumus, vulgus & arguta plebs ex Abravanellio *Rafanellum* sibi effecit. Credis me, Princeps, tam stultum, tam mei oblitum, qui cum nobilissimum a majoribus meis familiæ nomen habeam, tam vile, tam absurdum in eam mihi ascifcam? Tametsi, ne ingratus sim, hoc mihi nunc multo charissimum esse fateor, quando inde mihi vitam ex tanto periculo ereptam, ac conservatam esse video. Nam si iste recto me appellasset nomine, quodque familiæ meæ nobilitati magis, quam vulgari contumeliæ, respondisset, multo verisimilius hasce literas meas fuisse, tibi comprobasset. Jam venio ad tertias literas, quas sibi finxit a tuis Civibus ad me perscriptas, in quibus omitto, quod ineptissime erant scriptæ, quod nullo ordine, quod Venetis etiam verbis abundabant, tantum de te, Vir prudentissime, quæro, cum rem tantam ageres, quæ vix literis satis tuto committi posset fidelissimis, cur eas literas apertas reddendas curasti? Hæ sunt illæ, Princeps, literæ. Vide tu, si usquam signi vestigium appareat; si ulla cera unquam illitæ fuerint. Schedulæ etiam, quæ ad amicos in Urbe mittuntur, signari solent; hæ vero literæ, quæ tanta de re Ferraria Venetias mittuntur, apertæ mittuntur? quæ quidem, nisi suspicionem creassent maximam, vel plumbo erant signandæ, ne cera quidem signantur? Qui autem ita factum sit, nescio, Princeps. Scio equidem non recte, neque ex vera scribendi ratione factum;

ctum; nisi id ubique tamen fatear, quod etiam facio quam libentissime, mihi Deum nusquam deesse voluisse. At illud prudentissime. Cum enim interrogaretur, unde eas ipse literas habuisset? respondit. Cum hic, inquit, eas mihi legendas domi meæ dedisset; ego interea, ut fit, jussi, ut, quid biberemus, afferretur. Ita inter scyphos eas ei dormitanti surripui, cum jam tum mecum saluti tuæ consulere statuissem. Nihil interest, Princeps, utrum iste me stultum, an ebrium faciat, mentemque omnem in hac tota caussa eripiat, modo vitam non eripiat. Supra ubique me stultissimum, rerumque omnium imperitissimum facit, qui primum turpissimo decoctori rem meam tantam crediderim; deinde etiam qui in toto illo consilio nihil viderim, cum etiam ignoto nebuloni fidem, ac salutem meam, meorumque omnium tam stolide commiserim; nunc vero ebrietatis me insimulat. Tu magis cæco furore ferebaris, scelus, cum ista tua dominandi libidine agitabaris, cum in carcere ista tibi somniabas. Nam cum ad istam tuam præpotentem luxuriam omnia tua consilia, ac cogitationes dirigeres, ejus cæca aviditas, atque rabies te minime videre sinebat non solum, quæ vera essent, sed quæ etiam verisimilia viderentur. Cui enim iste, Princeps, persuadebit hoc bellum suum commentum? cui non iste magis hallucinari, ac vere ex vino loqui videbitur? me in una meridiana, ut fit, modica potione mentem eam amittere, qua rem tantam tam feliciter gubernarem? Diis omnibus omnes gratias ago, Princeps, quod iste me tum ebrium, ac altissimo somno oppressum in navim longam aliquam non conjecit, atque huc ad te advexit, rem planius patefecit. O prudentissime Cæsar, cur tum id non vidisti, quod tuæ isti fidei opportunissimum erat? qui tot falsissima in caussa multo magis falsa excogitare potuisti, cur quod ante oculos erat, non vidisti? Sed nihil horum quoque fuit. Nec mirum est, si qui in cæteris nihil sibi constat, in hac quoque ebrietate insanit. Duo postremo, Princeps, video te valde mirari; alterum, unde iste, si mihi cum eo nullus usus familiarior fuit, tam belle manum meam effingere didicit; alterum, quare iste in certissimum vitæ periculum se tam temere conjecit, nisi id aliqua rei veritate fretus fecit? Quibus ego utrisque nunc satisfaciam, idque quam brevissime; quod cum fecero, perorabo. Ac quod ad litera-

rum

rum similitudinem pertinet, dico, Princeps, id artificii non magnam admodum difficultatem habere, neque id tantum ab amici consuetudine quotidiana disci, quam a summa aviditate rei charissimæ consequendæ percipi posse. Habeat, Princeps, homo alienissimus formam, ac characterem, quo tu tuas literas scribis, satis illi est ad earum similitudinem novas sibi effingendas. Nam quod reliquum est, id totum a suo studio, & diligentia facile consequetur. Numquam enim cessabit quoad eam sic imitatus sit, ut ejus manus pro tua prorsus & legi, & agnosci possit. Literæ scriptio picturæ pars est, Princeps. Nam quemadmodum pictor hominem penicillo exprimit, sic, qui scribit, manum alienam calamo imitari, atque informare facillime poterit. Tametsi neque iste tamen tam prudens pictor fuit, qui in literarum mearum lineis ducendis non multum peccarit, ut in *f*, in *g*, in *l*, in *m*, in *r*, & in quibusdam aliis literis facile cerni potest, quæ meas prorsus non exprimunt. Jam venio ad istius periculum; in quod se minime temere conjecisse, credendum esse dicis, quippe qui sua sponte, atque a nullo invitatus Venetiis Ferrariam, in arcem tuam se se collocarit, ut omnibus tormentis, vita denique ipsa tibi, quod proposuisset de conjuratis, fortiter comprobaret. Magnum hoc quidem est, Princeps, sed quid, si non tantum est, quantum ipse reris? Quid si ei etiam necessarium fuisse nos contra fortius probabimus? Scito igitur, Princeps, istum Venetiis non solum ob æris alieni magnitudinem in carcerem conjectum, sed furti etiam damnatum esse. Nam id æs alienum non ex pecunia aut mutuo, aut fœnore sumpta iste sibi conflarat, sed ex aliorum mercibus, quas, inscio domino, vendiderat; quod idem cum furto Lex esse jubet; ex quo etiam furti damnatus erat; ut majorem caussam habere non posset, neque consilium magis opportunum, quam pro salute desperata in salutis periculum, hoc est, ex certissimo judicio in judicii periculum minime certum se se conjiceret. Multa in hoc istius consilio latere possunt, Princeps; quædam tamen ex ejus latebris, atque adeo ex istius verbis ipsi in lucem depromemus. Quid si iste cum ex carcere exisset, quidvis aliud cogitavit, quam ut Ferrariam duceretur? Quid si aliquot dies Venetiis sibi commorandum esse a te impetrare speravit? ut testes conveniret, rem

cum

cum eis componeret, certioraque omnia ad te secum deferret? atque interea tibi se surriperet vel in Cyprum, vel etiam ad Turcas? Sin secus tamen, quod illi evenit, omnino accidisset, ei quoque rei duplex remedium constituerat; alterum, ut reditum suum Venetias caussæ necessarium esse tibi persuaderet: id quod plane scis, eum etiam a te sæpius petivisse, quem tu id, quod erat, moliri suspicans, nunquam abire permisisti. Alterum erat in his literis, quas sibi effinxerat, atque in sua audacia, ut, si Isaacus tuo accitu ad diem advenisset, eum ita [ut pene etiam fecit] istis ipsis literis, ista sua audacia, istis suis dolis perterrefaceret, atque convinceret vel ad multo etiam graviora confitendum. Quippe qui audacissimus Sinon adversus meticulosissimum Judæum, atque apud eum Principem id se acturum videret, cujus saluti ab isto insidiatum esse audacter criminaretur. Sin venire recusasset, tum sperabat uno eo facto sic rem totam tibi comprobatum iri, ut nihil aliud expectandum esset, quin continuo de indicatis Civibus tuis supplicium sumeres, ac pro turribus eorum capita hastis affixa appendi juberes. Cujus quoque posterius consilium multum temporis ratione adjuvabatur. In id enim tempus istius accusatio inciderat, ut in magis opportunum incidere non posset, cum tibi, Princeps, ab impiorum quorundam cum armis, tum veneno magnopere timendum esset, ut vel a quovis homine tibi metuendum esse recte suspicari posses. Id quod cum a tua suspicione impetrasset, quid ei postea timendum erat, quod tantum scelus detegere posset, quamobrem non perpetuo apud te felicissime ageret? At Isaacus adhuc viveret. At facile iste, ut is quoque de medio tolleretur, curare potuisset. Ad hæc accedebant præter ejus incolumitatem præmia, quæ sibi proposuerat, ingentia, fortunæ damnatorum locupletissimæ, quas tu quoque illi promiseras; tua denique, Princeps, perpetua gratia, quæ pro centum millibus instructissimis prædiis esse poterat; ut plane videas, tantum abesse, ut absque caussa, atque nullo prorsus consilio iste se in tantum vitæ discrimen conjecerit, ut etiam post salutis suæ recuperationem in infinita præmia vocatus, pellectusque esse videatur; neque quicquam tam novum excogitasse, quod non quivis istius & periculi, & audaciæ in hac tanta rerum opportunitate non vidisset, non ausus esset. Jam

vero

vero perorata caussa, ac probe nostra innocentia, istius audacia cognita, restat æquissime, atque amplissime Princeps, ut te orem, ut quam hujus vitam propria innocentia a perjuri hominis falsa accusatione facile tutatur, eam huic ne Christianum in ejus genus odium vetus eripiat, atque condemnet; hic nihil separatim majorum suorum scelus luat. Satis enim superque sit, quod cum cæteris commune quotidie sustinet, qui miseri quasi procellis jactati huc, atque illuc errant; qui Patria nulla, nullis certis sedibus utuntur, qui denique nobis quasi servi vel ad nutum obtemperant, parent. Ab hoc judicio vetus ea injuria prorsus excludatur; quæ vero judicii propria sunt, æquitas juris, rei innocentia, legum sanctissima instituta intercedant, in judicio dominentur, in suo regno principatum obtineant. Judæum una nunc innocentia Christianum efficiat; Judæus in una integritate Christianus sit. Siquidem hoc proprium est Christiani instituti, non solum nulli injuriam ut afferamus, sed etiam, si possimus, ab altero illatam ut pie propulsemus. Propone tibi, Princeps æquissime, Christianum virum hoc modo innocentissimum accusari non apud Hebræos Judices, qui usque eo jampridem adducti sunt, ut illis judicio aliorum magis parendum sit, quam ut ipsi de aliis judicium ferre possint; sed apud Turcas, ac in eo judicio a nostro sint omnia, nisi quod Christianus sit, nisi quod rectissime de Deo sentiat; cætera, inquam, omnia illum absolvant, Christiani eum nomen tantum condemnet; damnatum supplicio afficiat. Quis dolor? quæ iniquitas? quæ injuria? quod scelus? Sit hic, Princeps, Judæus, sit, si quid pejus dici potest, quam Judæus, sit ex Turcis, qui cum Repub. Christiana perpetuum bellum gerunt, qui nihil aliud student, quam eam funditus evertere; sit tamen falso accusatus, sit innocens, sit nullius culpæ affinis; quid æquitatis erit, Princeps, in hujus innocentia majorum scelera ulcisci? ab hoc uno æquissimo judicio majorum pœnas reposcere? Alia ratio judicii est, Princeps, alia vindictæ. Tametsi, qui magis Judæus est, quam iste, qui hunc accusat? qui minus Deum novit, quam iste, qui innocentiam oppugnat? qui magis Christum suum contemnit? nullum habet? quam qui sic ejus imaginem per summum scelus demoliri conatur? ut etiam, ubi probitas defendi solet, eo in loco eam opprimere conten-

ten-

tendat? qui denique in uno ſuo tanto, tamque atroci ſcelere tantum, Princeps, in fideliſſimorum Civium odium Cives ipſos, primarias Familias illi in eam ſuſpicionem adducere, qui eum interficere voluiſſent, pro joco ſibi habuit confingere? Monſtrum hoc, Hercules, tolle ex Rep. Chriſtiana; maculam hanc, quam iſte ſuo novo ſcelere illi altius inuſſit, tuo iſto ſanctiſſimo judicio purga; cæterorum facinoroſorum hominum audaciam comprime, ne quicquam tale poſthac in Principes, atque innocentes viros impune moliri audeant. Tua ſumma juſtitia huic, atque adeo univerſo hujus generi lucem oſtende; veritatem Chriſtianam aperi; animum fac ad Chriſti fidem ſanctiſſimam complectendam; quos in Urbem tuam recipis, in Chriſtianam Religionem iſto tuo integerrimo judicio voca, trahe, rape; huic innocentiſſimo viro duplicem vitam redde; cæteris autem ejus generis æternam illam, ac beatam gloriam compara, ut etiam ex uno ſceleratiſſimi hominis crimine Dei gloriam maxime adaugeri videamus. Quamquam in iſto ipſo tuo judicio tibi quoque, Princeps maxime, providendum eſt, ne, ſi iſte manifeſto in ſcelere deprehenſus hoc tanto judicio elabatur; magis iſti fidem aliquam dediſſe, ac rem tacitam tecum in commodius aliquod ejus tempus te continere, quam nihil prorſus fuiſſe, quod ad te detulit, omnino videare; quod quam tuorum Civium gratiam tibi ſit conciliaturum, ipſe optime videre potes. Quin [audi quid dicam] vix etiam ea ſuſpicione liberati erunt, cum iſtum publice, in medio foro collo ſuſpenſum eſſe videbunt. Quotidie tibi, Princeps, per literas iſtiuſmodi res maxime odioſæ deferuntur; a literis ad eos homines, qui id coram facere non dubitent, jam ventum eſt. Quid amplius in hoc genere injuriæ expectandum eſt? niſi in his periculis ita utroque modo verſandum eſſe, ut aut in Cives tuos aliquando impie facere cogaris, aut hujuſmodi odioſa judicia exercere numquam intermittas? Quid autem, Princeps, ſi hoc fuit alios docere, iſto modo te facile de medio tolli poſſe? ac, ſi qui [quod omen in eos Dii prius convertant] id commodius facere poſſint, hanc viam illis oſtenderit? Quare, Princeps optime, in uno iſtius ſceleratiſſimi hominis judicio hujus innocentiam tueare, hominem innocentem conſerva, latronem

omni ſcelere coopertum quovis alio nomine, quam Chriſtiano , dignum tolle ; te vero Civibus tuis optimum Principem proba, illos tibi chariores eſſe , qui chariſſimi ſunt, declara. Dixi.

BARTHOLOMÆI RICCII

EPISTOLA

Ad Herculem Ateſtium Ferrariæ Principem, in qua probatur ad Latinam rationem *Ateſtium* nomen eſſe ejus Familiæ, non autem *Ateſtinum*, multo vero minus *Eſtenſe*. In qua multa de *Prænomine*, *Nomine*, & *Cognomine* diſputantur.

AD ANNAM FILIAM EJUS PRINCIPEM.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Annæ Ateſtiæ Principi S. D.

In edenda Epiſtola ejus Parenti ſcripta, atque inſcripta ſe ipſi quoque gratum facturum ait, eamque cum Patre habituram, quali ſcriptione in ſuis Latinis literis uti debeat.

E*Tſi, quæ ſequitur, epiſtola Herculi parenti tuo, Principi optimo ſcripta, atque inſcripta eſt, eaque ſatis ſuperque habere poterat, ſi tanta ejus inſcriptione in vulgum ederetur, ego tamen Princeps ampliſſima, qui paulo ſum ambitioſior, cum mihi nunc hoc facultatis offerretur, ut tibi quoque in hac ejus editione quodam modo gratificarer, eam cupide arripui, non quod me fugeret, quin tuæ ampliſſimæ virtutes magis dignæ eſſent, quæ multis, ac magnis voluminibus celebrarentur, quam*

hoc modo, quasi laudis guttula, aspergerentur. Sed ea a locupletissimis Scriptoribus tibi expectare licebit; utinam possem a me quoque fortasse alias addere. Id enim eo tibi animo praestarem, quo Fratri tuo Principi olim feci libentissimo. Nunc autem cum Patre tuo satis habebis, si, qua scriptione in tuis Latinis literis uti debeas, a nobis didiceris. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Herculi Ateſtio S. D.

Rationem reddit, cur Familiam Principum Ateſtiorum ita appellandam cenſeat, nominaque a cæteris Scriptoribus uſurpata Ateſtinorum, vel Eſtenſium, prorſus rejiciat. Eruditiſſimam autem Diſputationem inſtituit lectu, & animadverſione digniſſimam de triplici nominis ratione, nimirum prænomine, nomine, cognomine, ſive cognomento, quo Romani a poſtremis Regibus ad primos Imperatores continuato ordine vocari conſueverunt.

QUæris a me, Hercules Princeps, idque jampridem, quidnam id ſit, quod ego in Familiæ tuæ nomine cum cæteris Scriptoribus non conſentiam: qui, quam alii Ateſtinam, plerique etiam Eſtenſem inſcribunt, ſolus eam mihi denominem Ateſtiam? Quæris tu quidem, Princeps, recte, ſed iſti contra, a quibus in ea ipſa inſcriptione diſſentio, minime æque conqueruntur: qui me antiquiſſimæ inſcriptionis correctorem, ac quaſi cenſorem novum accuſant. Ut igitur una opera & tibi abunde ſatisfaciam, & iſtis reſpondeam cumulatiſſime, paulo altius res eſt repetenda. Scito igitur, Princeps, Romanos poſtremis Regibus ad primos Imperatores continuato ordine hac triplici nominis ratione, Prænomine, Nomine, Cognomine, ſive tu mavis cognomento dicere, vocari ſolitos eſſe; de quibus ſingulis multa hoc loco nobis perſtringenda ſunt, quæ & ad rem noſtram, & ad alias etiam familiares appellationes maxime pertinere arbitramur. Prænomen igitur, id quod vox ipſa facile indicat, nominpræponebatur, ut C. M. T. P. Cn. Sex. cum Julio, Cicerone, Pomponio, Cornelio, Pompejo, Roſcio. Pauciora erant omnino prænomina, ſi ea cum Familiarum numero conferantur. Hæc enim erant, Appius, Aulus, Cajus, Gneus, Decimus, Lucius, Marcus, Publius, Quintus, Servius, Sextus, Spurius, Titus, Tiberius, & pauciora quædam alia. Familias autem quis numerabit? Sed nec id tam mirum videri debet, cum hæc omnibus Familiis

 com-

communia acciderent. Nam, quæ Lucio prænomine uterentur, Familiæ supra sexaginta numerabantur. Nam qui cum diluculo nascerentur, prænomen Lucium secum ab ortu afferebant. Prænomine vero tantum Romani usi esse videntur. Quare etiam Horatius dixit Sermon. lib. 2. Sat. 5.

Quinte puta, aut Publi (gaudent prænomine molles
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum.

Quo in loco jubet Horatius, ut assentator civem Romanum non gentis nomine, sed prænomine appellaret, quasi quo magis delectaretur, contra quam hoc tempore fieri videmus. Malumus enim omnes gentis nomine appellari, ut Gypsius, Cavalcantius, Gyraldius, Manutius, Areostius, Abiosius, Riccius, quam Lanfrancus, Bartholomæus, Gregorius, Paulus, Ludovicus, Augustinus, Camillus. At in cognomine multo illustrior laus sentitur. Quis enim neget in Cn. Pompejo Magno, *Magno* vocem Pompejo magis arrisisse, atque adeo majorem quasi voluptatis titillationem movisse, quam & Cn. & Pompejum? Ita in Africano, Numidico, Asiatico, & in cæteris ejus generis? Recte quidem, sed omnes non sunt Magni, Africani, Numidici, Asiatici. Quare Horatius magis dixit prænomine, quam cognomine, Romanum gaudere; nisi L. Calpurnium Bestiam voce Bestia, quam Lucio prænomine, & Calpurnio nomine: item Cajum Fannium Strabonem Strabone voce, quam Caji prænomine, & nomine Fannio: item Cn. Cornelium Asinam, voce Asina magis, quam Cn. & Cornelio gavisum esse dicendum sit. Sed redeo ad prenomen. Hujus autem inscriptio erat aut singulis literis, ut C. L. T. P. aut duabus, ut Cn. aut tribus, ut Sex. Certe hoc numquam omnibus literis explicatum legitur. Illud vero addo ad Tiberii & Titi differentiam. Titum unica litera scribi solitum sic, T. duabus autem Tiberium sic, Ti. quod imperitos multos induxit in errorem, ut pro Tiberio Claudio, & Tiberio Sempronio, corrupte legerent Tito. Hoc præterea tantum simplex nomini suo præponebatur. Quis enim diceret T. P. Cornelium Scipionem? aut P. L. Cornelium Syllam? & reliqua ejus generis? Nam ubi legitur apud Livium C. Publius & C. Appius, in Publio & Appio mendum esse arbitror, ac pro Publio, Publicio, vel Publilio, pro Appio, Appustio, vel Am-

Ampio fortasse corrigendum esse non negarem. Certe ex Cicerone ad Atticum, ubi legitur C. Appius, alterum prænomen est tollendum. Hoc autem prænomine & pater, & primus filius communiter appellabantur; reliquis autem filiis aliud prænomen præponebatur; ut in tribus Antoniis fratribus factum videmus. Nam M. Antonius, quia natu maximus erat, a patre Marcus est dictus; cæteri, alter Lucius, Cajus alter sunt prænominati. Quod vero Q. Metellus Celer, & Q. Metellus Nepos fratres eodem prænomine sint dicti, non germani fratres fuerunt, sed patrueles, quos etiam fratres appellabant. Verum cum adhuc vivente patre ambigi posset, utrum de patre, an de filio in communi appellatione ageretur, eam quasi notam apponebant, ut aut patris, aut filii vocem adderent, ut in M. Tullio patre, & in M. Tullio filio plane factum videtur. Quin etiam si quis ex filio, adhuc avo superstite, natus esset, is eo quoque prænomine inscribebatur, ad eorum item differentiam *nepotis* voce addita, hoc modo: *M. Tullius Cicero nepos*. Jam vero cum virorum tantum prænomen esse videatur, quædam tamen mulieres hac quoque appellatione sunt dignatæ, ut C. Cæcilia, & C. Tarraria: in quo tamen scribendo, ut mulieres a viris distinguerentur, cum prænomen mulierem significabat, C. hoc modo inversum. Ↄ. scribebatur; ita & in cæteris. Sane vero hæc duo Cajus, & Cneus tametsi utrumque per C. primam literam scriberetur, mitius tamen per G. literam pronuntiabatur, hoc modo, Gajus, Gneus. Nam quod quidam rati sint, prænomen etiam a nomine fieri eo tempore, quo nos dicimus hanc appellandorum hominum rationem recte servatam esse, mea quidem falluntur sententia. Ac quod ad Svetonii locum, qui ita in Claudio ait: *Claudius est natus Julio Antonio, & Fabio Coss.* ubi *Julius* est nunc prænomen, alias autem Cæsaris gentis nomen dictum est, jam tum morem hunc nominandorum hominum labi cœpisse. Quod item meus Manutius in lapide legerit Cn. Numerius, Cicero autem dicat Numerios Aurios fratres, respondetur: in lapide diem non esse, quo videri possit, quo tempore inscriptus sit lapis, an Rep. stante, an Imperatorum ætate, præsertim cum nusquam in Historiis, tantumque in uno illo lapide ita legatur. Certe in Sergio, quod

modo prænomen, modo etiam nomen legatur, mendum esse affirmare non dubitarem, & tantum esse gentile Sergium dicerem. Erroris autem caussa, quæ fuerit neque obscura est. Nam cum Servius prænomen scribatur hoc modo tribus tantum literis Ser. errore interdum additum est g, & ita factum est Serg. Itaque in locum Servii irrepsit hominum incuria Sergius; ut ego ubique Ser. prænomen, nusquam Serg. legendum esse existimem. In Decimo vero Bruto, cum Decimus ita scribatur Dec. imperiti item in ea voce explicanda Decium fecerunt, quam docti contra, Decimum pronuntiant. Qui vero in alienas Familias adoptati essent, etsi pari ratione in prænominis, nominis, & cognominis hæreditatem venisse videbantur, sua tamen interdum etiam retinebant prænomina, nomina, & cognomina, ut in T. Pomponio Attico, qui quamvis ab avunculo Q. Cæcilio adoptatus esset, a Cicerone tamen semel Q. Cæcilius est inscriptus, alias autem semper T. Pomponius Atticus est dictus. In Scipione autem Africano posteriore non ita; qui cum a P. Scipione majoris Africani filio adoptaretur, eodem prænomine, & nomine, & cognomine semper est postea appellatus, quibus is, a quo adoptatus fuerat, P. Cornelius Scipio appellabatur. Ad nostram autem præsentis temporis nominandi rationem [si quid hoc quoque ad rem facit] ego ea prænominis loco ponenda nomina esse dicerem, quæ nostri sua lingua propria appellant nomina, ut Hercules, Ferantus, quæ cum suis Familiis sic se habent, ut C. L. & reliqua prænomina sese cum suis habebant. Atque ita facerem Herculem Atestium, Ferantum Gonzaghium. Atque hoc quidem ad prænomen. Sequitur, ut de nomine videamus. Sed nunc mihi tecum liceat ordinem commutare, atque ad tertiam propositi nostri partem transgredi, ut ultimo in loco postea de nomine commodius agatur; quod tamen antequam aggrediar, locus postulare videtur, ut quædam explicem, quæ ab hoc nostro instituto minime sunt aliena. Nam cum non defuerint, qui Familiæ nomen id esse vellent, quod nos tertio in loco posuimus cognomen [tametsi nunc id ipsum in secundo peragimus] isti prius jure optimo confutandi sunt. Id quod planissime effecero, cum Ciceronis & bonorum cæterorum [nam eorum rationibus respondere, atque adeo proferre maxi-

me

me pudet] certissimis exemplis comprobaro. Cicero igitur, cum de Senectute agit, sic ait: *Cato quasi cognomen jam habebat in senectute Sapientis*. Quæro ego de istis, ubi nunc sit cognomen hoc; an in gentis nomine, quod nullum est ascriptum? 'an in sapiente? Certe est in posteriore. Itaque cognomen nihil ad Familiam. Item secundo libro de Officiis ait; *P. Crassus cum cognomine dives, tum copiis*. Quæro item, utrum Licinia familia Crasso divitis nomen dederit, an ejus copiæ? certe copiæ. Item libro tertio, *atque*, inquit, *hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen sibi invenit*. Cognomen hoc quod fuit? Manlium, an Torquatum? certe Torquatum e torque factum est, non autem Manlium. Ciceronem is sequitur, qui ad Herennium scribit. Ita enim ait. *Cognomen, quod pro certo nomine collocamus*. Si cognomen pro certo nomine ponitur, certe Cæsarem, Atticum, Scipionem, Ciceronem, pro Julio, Pomponio, Cornelio, Tullio magis poni videmus, quam contra. Hic item, cum agit de prænominatione ait: *qui sicuti cognomine quodam extraneo demonstrat id, quod suo appellari non potest; ut si quis de Gracchis loquatur, dicat; at non Africani nepotes*; ubi vides, quia *Africani* erat dicturus, cognomine dixisse, non autem nomine. His Maro quoque assentitur, cum dicit, *nostrumque in nomen ituras*; hoc est, in gentem nostram. Est enim cum Anchises Æneæ filio ostendit in Elysiis campis } qui ex sua Familia illustres essent futuri. Postremo si prænomen inde dictum est, quod nomini antecedat, in M. Tullio Cicerone certe prænomen est M. Sin vero hoc nomen antecedit, Tullius sequitur; ergo Tullius necessario nomen, non autem Cicero, quod postremum est; ut ratione etiam isti de sua sententia ista prorsus dejiciantur. Sed jam ridiculos istos missos faciamus, atque cognomen ipsum agamus. Continuo igitur, quoniam cognominandi prope innumerabiles caussas veteres habuerunt, ea quoque ratione factum est, ut plura eorum legantur cognomina. Hæc ad sua certa capita ut reducantur, non est, quod expectes. Nam si dicam, aut ab animo, aut a corpore, aut a fortuna ea trahi solere, multo plura tamen relinquentur, quæ sub hæc genera non veniunt, ut Fidenas, Merenda, Lanatus,
Au-

Augurinus, Priscus, & multa alia, quæ nos in librum unum ad Camillum filium ad ingentem numerum collegimus. Hoc tantum dicam, videri interdum cognomen fieri ex nominibus alienis, ut in L. Porcio Licinio, item in M. Fabio Licinio, in quorum utroque Licinio cognomen est, quod alias nomen est Liciniæ Familiæ, ex qua L. Licinius Crassus, & C. Licinius Stolo. Item apud Asconium. *Q. Pacuvii fratres cognomine Claudii*; ubi *Claudii* cognomen est Pacuviæ familiæ, alias familiæ nomen nobilissimæ. Hujus autem natura est, ut nomen sequatur, ut in M. Tullio Cicerone, & C. Julio Cæsare, & eadem ratione in cæteris. In quibusdam tamen usus obtinuisse videtur, ut cognomen etiam nomini præponatur, ut in Paulo Æmilio, in Crispo Sallustio, quorum tamen utriusque recta scribendi hæc fuit ratio, L. Æmilius Paulus, C. Sallustius Crispus. Quemadmodum autem prænomen unum multis Familiis æque præponebatur, sic interdum cognomen multis unum gentibus deserviebat, ut Barbatus, quod tam Quintiæ, quam etiam Horatiæ cognomen fuit Familiæ. Item Capitolinus, quo uno & Quintia, & Tarpeja, & Manlia usa est cognomine. Quin duos etiam germanos fratres eodem cognomine de altero tantum dicto, nominatos esse comperio. Ii sunt M. Tullius Cicero, & Q. Tullius Cicero. Immo vero Cicero & suum, & Q. fratris filium Cicerones appellat. Cum vero uno cognomine plerique contenti essent, non defuere tamen, qui pluribus cognominibus honestari voluerunt; ut M. Æmilius Lepidus Porcina; & P. Cornelius Lentulus Cethegus; & Q. Cæcilius Metellus Celer; & C. Posthumus Ebutius Helia Cornicen. Nam quod isti agnomen vocant, idem esse cum cognomine Ciceronis testimonio facile comprobatur; qui hoc ipsum modo cognomen, modo cognomentum, numquam autem agnomen appellat. Utrum autem omnia cognomina æque ad posteros pervenirent, in multis equidem arbitror factum esse. Nam Marcelli usque ad ultimum Reipub. tempus fuerunt. In quibusdam etiam contra factum esse non negarim. Nam etsi in M. Tullio Cicerone tam filio, quam patri datum sit Cicero cognomen, non ita tamen in Africani filio. Non enim hic Africanus est dictus, sed tantum Africani filius. Verum qui in aliam Familiam per adoptionem venissent, si, qui

ado-

adoptassent, nullum cognomen habuissent, suum ipsi retinebant, ut in T. Pomponio Attico, qui a Q. Cæcilio adoptatus, Atticus semper cognominatus est; quia Cæcilii nusquam cognomen legitur, hoc modo, *Q. Cæcilius, Q. F. Pomponius Atticus*. Qui vero non habuissent, adoptatoris occupabant, ut Octavius, qui a Cæsare adoptatus, postea est dictus Cæsar Octavianus. Nusquam enim Octaviorum cognomen reperio. Id unum mirum videri potest, quod Florus pro prænomine cognomen dixit, cum ait; *ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset*, ubi vides *Marco*, quod semper prænomen est, pro cognomine a Lucio usurpari. Quam rem tamen eandem Livius magis proprie dixit. Sic enim ait: *quod gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde Marcus Manlius vocaretur*. Hactenus de cognomine. Restat, ut de nomine, cujus caussa caussam hanc suscepimus, pluribus agatur. Hoc autem cum res omnes notentur, de eo nos nunc tantum agimus, quo Familiæ indicantur. Continuo igitur hoc scito, Princeps, nomen, quod vere nomen est apud Latinos, vocem suam in *ius* terminare, ut Sempronius, Fabius, Posthumius, Valerius, Sulpitius, Furius, Porcius, Julius, Cornelius, Pomponius, Manlius; quędam tamen in *ejus* terminantur, ut Pompejus, Coccejus, Vultejus, Lucejus, Annejus, Sejus, Hejus, & reliqua nonnulla. Solum autem nomen primo [ut ita dicam] genitæ sequebantur. Nam ut primogeniti tantum in patris prænominis possessionem veniebant; sic primogenitæ generis nomen jure optimo possidebant. Hinc Pomponia, Clodia, Tullia, Cornelia, Sempronia, Julia de Familiis suis sunt appellatæ; reliquis vero filiabus aliis alia nomina addebantur, ut, tertia, quarta, quinta; ut Quinta Claudia. Unde quidam putant Quintam prænomen ei fuisse, contra quam vetus consuetudo fert. Scribendi autem nominis ratio ea est, ut omnibus suis literis scribatur, hoc modo: *Tullius*, *Julius*, *Cornelius*; quemadmodum & cognomen, contra quam in prænomine fieri paulo ante docebamus; quod nunquam integre perscribitur. Nomen etiam interdum non apponebatur, sed prænomine, & cognomine tantum Vir significabatur, ut in P. Sylla, P. Lentulo, L. Catilina, M. Catone, & multis aliis. Qui vero Civitate donabatur, cujus beneficio in Civitatem venisset, ejus nomine etiam donabatur; ut Demetrius Me-

ga Siculus, qui in Civitatem receptus P. Cornelius est dictus. Eodem modo qui in alienas Familias per adoptionem veniebant, eorum etiam, a quibus adoptarentur, nomen ferebant, ut in P. Cornelio Scipione posteriore, & in Julio Cæsare Augusto videtur; quorum alter ex Æmilia in Corneliam, alter ex Octavia in Juliam adoptatus est Familiam. Hic enim Julius; ille vero Cornelius est semper dictus. Etsi scio, superiorem invidos magis Octavium, quam Julium, appellitasse; cum hi tamen Gentis quoque suæ nomen non prorsus amitterent. Aliud enim ex ea sibi efficiebant in *anus* terminatum ut in hisce duobus principibus Viris, P. Cornelio Scipione Æmiliano, & Julio Cæsare Octaviano cernitur; quorum alter ex Æmilia Æmilianum; alter ex Octavia Octavianum sibi confecerunt. Servi item libertate donatnomen Heri sui una cum libertate assequebantur: ut Ti Ampius Menander, qui libertus fuit T. Ampii Balbi. ita Eutychides, qui T. Servilio servivit, qui manumissus T. Cæcilius Eutychides est dictus. Sed redeo ad te tandem, Hercules Princeps, atque ad tuum nomen. Hoc autem isti sive Estense, sive Atestinum esse velint, ab Ateste Oppido utrunque esse non negant. Sed quod ad Estense attinet, jam vox ea pro barbara explosa est. Restat, ut videamus, utrum Atestinum [quod quidem Latinum est] cum Familia tua convenire possit; quod nullis rationibus fieri posse video. Primum enim, quod vox Atestina, quæ pro Gentis tuæ nomine ponitur, Familiarium nominum terminationem in *ium* certissimam non servat. Deinde, quod cum idem Atestinus sit, quod & Patavinus [ne longe a loco discedamus] & Vincentinus, & Tarvisinus, omnia hæc nomina Civem ex aliqua earum Urbe, aut aliquid, quod ad Urbem pertineat, prorsus significant, ut T. Livius Patavinus, ut Historia Patavina, & cætera his similia. Ac ne a simili voce aberremus, fac idem a Præneste Prænestinum; quid id aliud erit, quam aut Civis ex Præneste Oppido, aut quod ad Præneste attineat? Si igitur ita est, ut hujusmodi vocum derivatio proprie Patriam significet; aut aliquid ad Patriam pertinens, nunquam autem Gentem, aut Familiam, qui isti dicent Atestinum, Familiam tuam indicantes? Equidem Latinæ linguæ tam rudem arbitror esse neminem, qui idem & Patrium nomen,

men, & Gentile cuiquam videri posse ineptius contendat. Ut continuo videas, quæ Illustrissimæ Familiæ tuæ ab istis offusæ sint tenebræ; qui clarissimum ejus nomen cum infima etiam plebecula communicare non dubitarint. Nam si Atestinus est ex Oppido Ateste [quemadmodum re vera est] quid Leonelli tui, Borsii, Hercules, Alphonsi vel a resarcitore Atestino different, si omnes eodem appellentur nomine? Hercle, Hercules, tam is erit Atestinus ex Ateste Oppido, qui naviculariam exercet, quam tu secundus Hercules Ferrariensium Princeps. Franciscus Frater tibi est. Is hoc bello adversus Germanos rebelles sub Cæsare meret. Fac, Princeps, ut sit alter Franciscus ex Ateste Oppido, vir non ignobilis, quique sub eodem Cæsare hoc ipso bello mereat; horum uterque res Historia dignas fac æque ut gerat; quæro ego, cum Historiæ Scriptor ad Fratrem tuum pervenerit, qui eum ab illo discernet, si uterque iisdem nominibus & Francisco, & Atestino appelletur? Siquidem ea ratione hominibus nomina [ut cæteras res omittam] imponuntur, ut quisque suo certo vocabulo a cæteris dignoscatur. Hic expecto, ut isti mihi dicant, qua ratione Scriptor hos discreverit, si æque uterque & Franciscus, & Atestinus nominetur? Ut hac quoque ratione manifeste videas, aut alios in tuam Familiam indigne irrepere, aut te a Familiæ tuæ clarissimo nomine in oppidanorum nomen transire. Atque hoc de viris est. Quasi vero non fœmellæ quoque nomen hoc pari sequantur ratione. Nam si quæras de quavis ejus Oppidi muliercula, quæ etiam & lana, & colo victum quæritet, cujas ea sit, continuo se Atestinam esse respondebit. Et si Anna Filia tua Regia fœmina pari ratione interrogetur, qua ex Gente sit, eodem nomine respondebit; certe neque ex dignitate, neque ex vero id fiet. At isti inquient, Gentis dignitas nominis communitate non corrumpitur. Neque enim propterea quod Clodii tres sorores turpissime vixerint, quicquam de Appii Cæci dignitate detractum est; ut hoc nihil sit, quod interdum etiam multum esse solet, [neque enim unquam Catilinam Familiæ suæ ornamento, neque contra Lucretiam turpitudini fuisse convincent] quid ad vocis rationem? Num etiam obstinate pergent tenere, idem & Patriæ, & Gentis nomen esse posse? Num tandem efficere conabuntur, ut

Fer-

Ferrarienses, Pisaurienses, Pisani, Vicentini, Tarvisini, nomina a suis Urbibus facta, suis etiam Civibus communia, sint idem cum earum Familiarum nominibus, quæ inde quodammodo nomen Gentis suæ mutuatæ esse videantur? Falluntur, si ista sunt sententia; multoque eorum & verior, & sanior est, qui hosce Ferrarios, Pisaurios, Pisanios, Vincentios, Tarvisios suo nomine appellant. Ad quarum Familiarum rationem nos quoque tuam Atestiam fecimus; Atestinam autem istorum, hoc est, alienissimam contempsimus. Esto, isti inquient. Quid vero, si quis in istis tuis Familiis de Gentis suæ nomine appellatus sit? ut Vincentius ex Vincentia, ut etiam ex tua Riccia Riccius? quid tum agendum? num fortasse vox illa erit geminanda? ut una quasi prænomen, altera nomen significet? Respondeo, ad Latinam rationem, quam nos sequimur omnino, id nunquam esse factum. Nemo enim ex Terentiis Terentius, ex Juliis Julius, ex Antoniis Antonius est unquam nominatus. Sed quando nostris mos est, ut multi a Gentis nomine mares, quod apud veteres tantum fœminarum esse dictum est, denominentur, cum eos Latine tractabimus; ea ratione fortasse tractabimus, ut prænomen nobis leniter adaptemus ad nominis differentiam; ut prior Vincentius, atque Riccius, fiant Vincenzus, & Rizzus; atque ita dicamus Vincenzum Vincentium; Rizzum Riccium; quod in multis etiam suapte natura sequetur, ut Delphinus Delphinius, Contarenus Contarenius, Guidotus Guidotius, Manzolus Manzolius, Guarinus Guarinius. Quod si minus Latinum videbitur, habeo etiam qui melius id dicam, si, parenti prænomine addito, ea differentia explicetur, hoc modo, Riccius Nicolai Riccii filius; ita Vincentius Andreæ Vincentii filius; nisi isti hoc quoque loco clament, me ex uno nomine multa efficere nomina; qui si me doceant qua ratione rationem hanc barbaram ad Latinam melius redigere possim, non solum id de illis discam libenter, sed ea ratione plurimum illis etiam debebo. At doctissimi Viri in suis Familiis inscribendis secus ubique & sentiunt, & factitant, ut Alexander ab Alexandro, & tuus Lanfrancus a Gypso. At Alexander ab Alexandro sane doctissimus Scriptor fuerit, certe in Familiæ suæ inscriptione prudentior fuisset, si se magis Alexandrium, quam ab Alexandro, appellandum esse vidisset. Quod vero

ro ad Lanfrancum attinet, miror, qui in ſuis ſcriptis, quæ modo doctiſſima in vulgum edidit, non iſto veſtro modo a Gypſo, ſed meo potius Gypſius legatur. Quid vero Guarini, Trocti, Areoſti, Muſti, Sacrati, Taſſoni, & innumerabiles ubique gentium voces aliæ ad iſtam rationem tuam minime factæ? Non recte Latinæ factæ; quas ſi quis reſtituere ſtudeat, eas Guarinias, Troctias, Areoſtias, Muſtias, Sacratias, Taſſonias, item in cæteris aliis faciendum curabit. Ergo Pontanus, Bembus, Sadoletus, Corradus, Barbarus in ſuis Familiis ſcribendis barbari? Certe in ea voce non tam Latini fuerunt, quam Sannazarius, Longolius, Navagerius, Daneſius, Alcyonius, Fracaſtorius, Manutius, Majoragius, Bocchius, Bonfadius, Nizolius, Perionius, Palearius. Ac ne te diutius teneam, Princeps, atque adeo in tuis una [ut ajunt] plaga rem totam abſolvam, paucis audi. Si Hippolytus frater tuus Cardinalis Ateſtinus inſcribatur, quid hæc inſcriptio aliud ſignificabit, quam eum Ateſtis Oppidi primarium eſſe Antiſtitem, quem Epiſcopum vocant? Sicuti etiam Piſanium Patavinum, & meum Cornelium Tarviſinum deſignatum dicimus. Certe Frater tuus multorum, eorumque nobiliſſimorum Sacerdotiorum nominibus appellatur. Eſt enim Mediolanenſis, Lugdunenſis, Heduenſis primarius Antiſtes. Si item Ateſte Oppidum accedat, quo nomine alio, quam Ateſtino, appellandus ſit, ut me iſti doceant, expecto. Atqui Ateſtinus appellabitur, & recte quidem. Quid vero ſi [quemadmodum fit] Familiæ nomen addere velit? qui id efficiet? Num fortaſſe bis Ateſtinum ponet? hoc modo, Hippolytus Ateſtinus, Ateſtinus Epiſcopus [non enim hic iſti ſe corrigere poſſunt, quemadmodum ipſi paulo ante feceramus in voce altera paulum commutanda, aut etiam patris nomine ſuperaddito: vox enim ea ſemper erit utrobique Ateſtina] quid, inquam, tum efficient? Num ita dicent, Hippolytus Ateſtinus, Ateſtinus Epiſcopus? Hui, dicendi genus maxime ineptum. Sed multa ipſi ad hunc modum faciamus licet. Sit Franciſcus ex familia Piſania Piſanus Epiſcopus; ſit Camillus ex Vincentia Vincentinus, Cæſar ex Piſauria Piſaurienſis, Antonius ex Tarviſia Tarviſinus, Hieronymus ex Ferraria Ferrarienſis. Si hos ita appellabimus [quemadmodum vos vultis] Franciſcum Piſanum, Piſanum Epiſcopum;

Ca-

Camillum Vincentinum , Vincentinum Episcopum ; Cæsarem Pisauriensem, Pisauriensem Episcopum ; Antonium Tarvisinum , Tarvisinum Episcopum ; postremo Hieronymum Ferrariensem , Ferrariensem Episcopum , qui magis non solum vocum nulla proprietate , sed quodam etiam earum subagresti dicendi genere insanire poterimus ? At, si veram Familiarum vocem sequemur, omnia fient propria , ac mitiora . Ea autem erit Pisania , Vincentia , Pisauria , Tarvisia , Ferraria , tua vero Atestia . Itaque illi scribentur rectius , Franciscus Pisanius, Pisanus Episcopus ; Camillus Vincentius , Vincentinus ; Cæsar Pisaurius , Pisauriensis ; Antonius Tarvisius , Tarvisinus ; postremo Hieronymus Ferrarius , Ferrariensis ; ita & Hippolytus Atestius , Atestinus Episcopus scribetur . Quibus rationibus credo ego , te , Hercules Princeps , jam facile videre, quo Familia tua nomine sit vere inscribenda , quæ omnino aliud est , quam Civis ex Ateste Oppido , aut quid ad Ateste Oppidum pertinens . Istos vero cum barbarorum usu , tum veterum Scriptorum ignoratione ; se in manifestum errorem esse delapsos, prorsus sentire pari arbitror ratione ; qui mecum posthac rectius facturi sunt , si cum aut de te , aut de tuis Latine & loquantur , & scribant , hoc modo magis Familiam tuam Atestiam, quam veteri, Atestinam, aut etiam [si Diis placet] Estensem, appellitent. Vale.

DE-

DEFENSIO

BARTHOLOMÆI RICCII

CONTRA GASPAREM SARDUM

De Prænomine, Nomine, & Cognomine.

Ubi etiam Ateſtium *de Principibus Ferrarienſibus magis dicendum, quam aut* Eſtenſe, *aut etiam* Ateſtinum, *pleniſſime comprobatur. Ad Præfectos Academiæ bonarum literarum Viros.*

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Nicolao Bendidio S. D.

Oſtendit, ſe neminem in Epiſtola ſua, in qua quærit, quamobrem Principum Ferrariæ Familiam potius *Ateſtiam*, quam aut *Eſtenſem*, aut etiam *Ateſtinam* in omnibus ſcriptis ſuis appellarit, eorum nominaſſe, qui & ſecus ſentiunt, & ſcribunt; extitiſſe tamen Gaſparem quemdam Sardum, qui non ſolum contra ſuam ſententiam ſcriberet, ſed in ſuum etiam nomen inſolentius inveheretur; rationemque reddit, cur ejuſdem Epiſtolam eo modo exagitet, quo Cicero M. Antonii Epiſtolam in Senatu recitatam, quæ undecimum locum inter Philippicas tenet, acriter exagitavit.

VIde, quæſo, Bendidi, quo me mea innocentia traxerit. Scripſi, ut tu cum omnibus ſcitis, ad Herculem Principem noſtrum, idque de me quærentem, quamobrem ejus Familiam potius Ateſtiam, quam aut Eſtenſem, aut etiam Ateſtinam in o-

mnibus meis scriptis appellarem. Ut id modeste egerim, nullaque cum ullius injuria pertractarim, res ipsa testatur. Neminem enim in ea Epistola eorum, qui & secus sentiunt & scribunt, nomino. Sed quid nomino? ne ullam quidem cujusquam facio significationem. Quin eos modestissime hortor, ut hanc meam sententiam probent; mecum Latinam vocem posthac usurpent; barbaram alteram; alteram impropriam omittant. Roma, Mediolano, Bononia, Venetiis, Patavio literæ mihi afferuntur, quibus intelligo, studiosis omnibus Disputationem meam valde comprobari, sententiam minime improbari. Solus quidam Gaspar Sardus (quid enim istum Romano more Sardium appellem? qui tam barbarus est, ut ne Latino quidem nomine sit dignus) solus, inquam, Sardus exortus est, qui non solum contra meam illam sententiam scriberet, sed in meum etiam nomen insolentius inveheretur. Cujus Epistolæ suæ quinquaginta exempla sua manu quaque versus ad sui simillimos misit; apud nos autem sic eam ipse circumtulit, ut novum monstrum omnibus perspiciendum circumtulisset. Quem ego nebulonem improbissimum, ac barbarissimum nugatorem, ut dignus est, prorsus risissem, atque inter suos coaxare sivissem. Neque etiam hoc modo, quo eum probe jugulo, hac mea responsione cohonestassem. Sed cum ego planius viderem, istum ex quorumdam (probe enim scis, quos significo) sententia, atque impulsu & scripsisse, & in
hanc

hanc contentionem venisse, istos duxi minime esse contemnendos, ne & ego meo honestissimo silentio quodam modo confitentem imitari viderer; & isti, quoties videretur, hunc ipsum etiam insolentius in me concitarent. Id quod mihi sum visus commodissime facere posse, si, per quem ipsi in me invecti essent, per eundem ego eorum crimina in eos ipsos rejecissem, hac tamen conditione, si pergant hoc modo tacite, ac latenter meum nomen proscindere, me in eorum ipsorum scripta multo verius, quam ipsi in mea ex alterius ore fecerunt, esse postea palam, atque acerbiore stylo perscripturum. Nunc tantum agam cum Sardo, cujus Epistolam eo modo exagito, quo Cicero M. Antonii Epistolam in Senatu recitatam, quæ undecimum locum inter Philippicas tenet, acriter exagitavit. Ad singulas enim ejus partes præscriptas respondeo, ne aut ipse aliquid a me, quæ ejus malitia est, in se excogitatum esse, posset excusare, aut ego ex iis, quæ infinita in eum & reprehendenda & rejicienda sunt, partem aliquam imprudentius præterirem. Tametsi hoc quoque modo multa me prætereant, necesse est. Tota enim istius Epistola mendis referta, atque oppleta est. Quam meam Defensionem ea ratione tibi mitto, quoniam cum iste suam istam Epistolam ostentaret, ac in ea militem gloriosum faceret, tu in primis caussam meam tum amanter suscepisti, tum etiam fideliter defendisti; ut quod tu tum tua sponte ho-

norem meum tutatus es, eum nunc a me quoque & mihi, & tibi omnibus rationibus defensum esse videres: & si qui posthac de eo novi sermones orirentur, planius, ac copiosius rem eandem peragere posses. Quod ut facias, etsi jam id tua constantia te facturum esse confido, te etiam atque etiam rogo, atque oro. Vale.

Ferrariæ Calen. Jun. MDXLVIII.

BAR-

DEFENSIO

BARTHOLOMÆI RICCII

CONTRA GASPAREM SARDUM.

QUamquam a nobis, atque adeo a vobis, Præfecti Viri, nihil omissum est, quod ad Sardum istum in medium extrahendum visum est facere, cogi tamen non potuit, ut quæ in me scripsit, ut ego illum mea Epistola provocaram, & vos vestro decreto jusseratis, in vulgum ederet; sed ei rationi putavit, credo, ut pusillo etiam sumptui parceret [est enim Plautino Euclione aridior] se satisfacturum, si ea scripta ad me tantum misisset, itaque facit. Sua manu ea ad me descripta misit, quibus ego hodie apud vos respondeo. Tametsi hoc uno labore facile supersedere poteram. Nam in quo Sardus iste me accusat, si dedita opera contendisset, ut vel mediocriter literatis Viris se ridiculum esse comprobaret, ineptius delirare nequivisset. Nam quod ad sententiæ meæ rationem attinet, cavete, putetis, quicquam ab isto non modo, quod ejus pilum labefactet, sed quod ad rem etiam faciat, dici omnino; ut cum ego istum vicero, quod nullo prorsus faciam negotio, multo plus mihi indignitatis, quam laudis, sit inde accessurum. Qua una quoque ratione utrum in hoc vestrum honestissimum Collegium istius Sardi sordes, atque fatuitates adducerem, diu multumque dubitavi. Sed cum communem caussam cum hac mea maxime conjunctam esse viderem, illi magis, quam meæ, consulendum, atque istius insolentiæ occurrendum esse duxi; ne iste posthac quotidie doctis Viris negotium facesseret. Scitote enim, Præfecti Viri, Harpyam istam omnibus in viis, omnibus in Templis, in omnibus porticibus, in toto foro, mane, meridie, vesperi doctos Viros aucupari, quos continuo deprehensos suis stultitiæ suæ plenis voluminibus, quorum fasciculum semper habet sub alis, eas ipsas bene redolentem, jugulat, conficit, enecat, quibus aut nunc, aut numquam alias vobis maxime providendum fuit. Probe

enim scitis, veterem injuriam ferendo novam invitari; neque quisquam omnium est, qui magis aliena integritate abutatur, quique ad minimam licentiam insolentius feratur, quam iste facit. Sed quoniam iste tam impudens, quam etiam imprudens, me non solum acerbissimis, sed etiam obscœnissimis verbis irridere non cessat; & mea ea natura est, ut cum paulo vehementius in caussam invehor, a verissimis criminibus incitatum orationis meæ cursum facile continere non possim; si isti in utroque parem a me gratiam referri sentietis, quæque cum vestris auribus, tum etiam mea modestia minus digna videatur, a vobis peto, ut id omne mihi ignoscatis, quem tam insolenti, tamque obscœno nebuloni modestius respondere non decuit, eamque culpam omnem in istius procacitatem transferatis, qui cum commodius, idque de filii sui prudentissimi adolescentis sententia quiescere posset, in me nulla mea culpa, sua tantum temeritate impulsus ea evomit, quæ fœdissimus livor ei in buccam infudit. In qua tota mea defensione hoc ego vobis polliceor, Præfecti Viri, præstaboque quam integerrime, vos a me in istum ullo meo odio, ut fieri solet in recriminando, nullum confictum, nullumque excogitatum verbum esse audituros, cui verissimorum sese tanta copia offert, ut magis verear, ne multa ex eis imprudentius prætermeam, quam ut nullum veri etiam simillimum mihi effingere studeam; præsertim cum hæc sciam vel risu accipi; illa vero hominem, quod nos quærimus, occidere solere. Sed antequam in caussam ingrediar, pauca quædam cum causa ipsa conjuncta cum isto percurram.

Qui tibi in mentem venerit, Sardi, me tuis scriptis non solum ignorantiæ accusare in iis, quæ de Romanarum Familiarum nomine ego ad Herculem Principem nostrum proxime scripseram, sed etiam cachinnis prosequi fœdissimis, non satis intelligo: præsertim cum in mea illa Epistola nullum verbum sit, nulla vox, quæ quemquam attingat, nulla denique vel tenuissima cujusquam significatio sentiatur. Nam si mihi, qui te sæpius commonui, ut in bonis Scriptoribus versareris, tuos istos Apulejos, Rhodiginos, Marcellinos, ceterosque ejus generis infantissimos Scriptores, omitteres, gratiam referre voluisti, quam hoc grati sit animi, ipse videris. Neque enim puto, te hoc quoque modo Civibus tuis ineptias

tuas

tuas notiores esse voluisse, qui plane scias, neminem esse in tam universo populo, qui te jampridem non solum optime non noverit, sed etiam odio vel maximo non habeat, tuamque ferre possit insolentiam. Sin autem [quæ tua est cum summa stultitia, tum etiam ambitio quam maxima] forte sperasti, si mecum ausus esses contendere, te aliquid omnino esse videri posse, ac inanem gloriolam, quam avide circumsectaris, hoc modo, ut consequereris, facile tibi persuasisti, horum utrumque quam feliciter tibi successerit, nunc senties. Tametsi multa, atque ingentia tua crimina in hac mea defensione mihi omittenda sunt; ne, si tuam insaniam apertius, ac, quantum possem, consecter, tecum insanire videar; aut quos nolim, ne in suspicionem quidem adducam. Continuo enim ipse scis, cui tuam istam Epistolam, quam in me cum elegantissimam, tum etiam honestissimam scribis, non solum legendam miseris, sed etiam, si per Gypsium tibi licuisset, eras inscripturus. Dii boni, cur mihi non licet hunc locum, ut par esset, suis omnibus partibus pertractare, atque ornare? Nimis enim, quod dico, exile est, nimis parum, nimis nihil. Sentio omnia, Præfecti Viri; sed alterius ratio hoc mihi loco adhibenda est, non stultissimi istius insania reticenda; quibus tamen istum tectius possum, graviter excutere placuit. Quando, stipes, videbis, quid te deceat, aut quicum agas, si tum non vidisti, cum ejus generis literas tuas in sanctissimas manus [ut tibi tuam barbariem condonem] tam ambitiose, tamque imprudenter pervenire studebas? Quando vero sapies aliquid, si, quod flagitiosissimum erat, tecum apud animum tuum decrevisti istam ipsam lutulentissimam Epistolam tuam ei inscribere, cujus etiam probitatem tua ista tacita cogitatione plurimum violasti? Grave quidem est castissimis auribus Epistolam barbaram, impudicamque legendam mittere; hujusmodi enim lectiones optimos animos gravissime offendunt; sed flagitiossimum est illi eam personæ inscribere, hoc est, unde cæteri postea illam legerent, quæ quam optimis moribus, tam etiam politissimis literis sit prædita. Tu vero tamen ita ambitione, an amentia potius? ferebaris, ut modo jactares, te Epistolam tuam alicui Principi legendam misisse, aut magis inscripsisse, omnia æqua, iniqua, honesta, probra, læta, tristia commiscere non dubitares. Neque

vero nunc ſaltem, cum hæc a me audis. Tametſi recenſentur tantum. Non enim, ut res digna eſt, gravius explicatur. Cum hæc, inquam, a me recenſeri ſentis, nihil te pudet? nihil commoveris? nihil erubeſcis? Perdita res eſt, Præfecti Viri. Frontem iſte perfricuit, nullus pudor, nulla verecundia, nulla in vultu boni Viri ſit ſignificatio. Et hæc, qui poteſt, ſi reſciverit, non te continuo in piſtrinum aliquod conjici jubebit? eaque lege, atque omine, ut, ſi te inde exemerit, ego pro te volens, ac lubens molam? At mihi hoc loco ſuccurrit, Viri Præfecti, bellus ille Æſopi aſinus, qui cum videret catellum cum hera ſua, quem illa in delitiis habebat, ludere, atque in ejus gremio ſubſultare, morſuque leni ejus digitum appetere, & delitias omnes facere, ipſe quoque rudens ad eam accurrit, ac pedibus anterioribus immodeſte ludens, eam ad terram inſolentius ſtravit. Quo uno facto familiares accurrerunt, eumque verberibus plenum in ſtabulum intruſerunt. Ita iſte noſter fecit, quaſi nos quoque poma. Nam cum vidiſſet Epiſtolam meam ab Hera mea, quæ ejus ſumma eſt cum humanitas, tum etiam judicium ſingulare, legi cupide, atque laudari ſedulo, tanta invidia exarſit, ut ſuam is quoque turpiter rudentem ad eam compulerit Epiſtolam. Sed Hera prudenter fecit. Nam rata nihil ab iſto, niſi inſulſum, ineptum, ſordidum exire poſſe, ut eam ſignatam accepit, ita cuidam quaſi ſervandam dedit, neque poſtea quicquam de illa. Sed jam Epiſtolam ipſam aggrediamur, cujus hoc eſt initium.

Luculentiſſimam cujuſdam Epiſtolam ad Herculem Ateſtium Ferrariæ Principem cum nuper legere cœpiſſem, in ejus fronte Epiſtolæ me hæſitaſſe fateor, dum Ateſtiam vocem auribus meis inauditam legerem.

Quod *luculentiſſimam* meam appelles *Epiſtolam*, tu tuam laudem tibi habeto, ego nihil curo laudari ab illaudatiſſimo homine, nebuloneque imperitiſſimo, maloque, [ut inferius facis] abs te contemni, ut qui nihil recte aut laudes, aut etiam laudandum facias. At *cujuſdam Epiſtolam* ais. Bellus mei ſcilicet nominis diſſimulator es, qui id non videris in ipſa Epiſtola vel grandioribus literis ſcriptum? At ego id tibi planum faciam, ita-

taque, ut hujus diei, ejusque, dum vivas, probe recorderis. Tot enim te hodie jaculis confodiam, quot Echinus se meus spinis armat, atque circumtegit. Riccii igitur ea Epistola, est, Sardi, ejus, inquam, Riccii est, Sardi, illa Epistola, quam tu tuo nomine *cujusdam* appellas, qui tuas tibi ineptias sæpius correxit, cujus domum ob eam rem ipsam etiam trans Padum per summos ardentissimi Solis æstus ventitasti, quem, quia tibi adulari nesciebat, ac plane, ut se tua scripta barbare, inepte, insulseque habebant, liberius, [quæ ejus natura est,] demonstravit, odio habere cœpisti, quod, cum ulterius sustinere non posses, totum in hanc meam Epistolam effudisti. Ne me coge tui istius in me iniquissimi odii locupletissimos testes citare, quorum scis alterum mihi jam superstitem esse, quique ut diutius supersit, Deos omnes rogo; alterum hoc ipsum apud Deum Opt. Max. testari, neque ipse inficiabere. I modo, tuumque tibi illud *cujusdam* habeto. Sed hæc folia sunt: mox in te arbores cadent, quæ ita te onere premant, ut sardonium rideas moriens risum. Vocem postea *Atestiam tuis auribus inauditam* esse dicis. Tu non vocem eam antehac de me sæpius audisti? At habes abhinc novem annos meum Opusculum *De Consilio Principis*, item *Opus de Imitatione* ad Alphonsum Atestium Herculis filium, ut tres Orationes prætercam, in quibus crebro vox hæc usurpata est. At a te uno tantum, qui mihi non es instar omnium. Neque id mihi arrogo, quod tu facis cum tuis tabernariis, at multas apud veteres ad ejus rationem factas, ut in Epistola nostra satis comprobatum est, & vidisti, & legisti.

Intellexi subinde [sequeris] *eum accusari tamquam antiquissimæ interpretationis correctorem, novumque veluti censorem. Quocirca nonnulla de Prænomine, Nomine, & Cognomine more Romano a postremis Regibus ad primos usque Imperatores & copiose & eleganter interserit, sed, an vere, incompertum habeo.*

Ubique iste, Præfecti Viri, ut videbitis, aut malignus, aut stultus est. Supra grandioribus literis scriptum nomen meum dissimulavit, hic vocem etiam commutat. Quid enim, somniculose, *interpretationis correctorem?* ubi ita legitur in mea Epistola? Redi ad locum; affer eam vocem

in-

interpretationis ex mea, si potes, Epistola; id si effeceris, recte quidem ego stultus; si non, i tu somnum integrum, aut etiam vinum edormitum. At eadem est cum tua. Recte sane. Quoniam autem hoc ipse non sentis, alii viderint. Sed ais, *an vere*, *incompertum habeo*. Quid autem *incompertum habeo*? quasi quicquam boni compertum habeas. Num satis tibi est, si Carmelitam tuum, Platinam, Amianum habes cognitissimos? Nega, nega ita esse de Prænomine, Nomine, & Cognomine. Affer ineptias tuas, cur ita esse non possit. Deprome ex isto tuo crassissimo, atque inanissimo capite omnem tuam stultitiam. Fac, fac, quæso, ut hoc quoque in loco, ne intelligendo nihil intelligere videare. Sed sentio; canem timidum imitaris, qui longe viatori adlatrans, cum in eum viator recurrit, refugit ad tegetem. De illo vero tuo *subinde* quid aliud dicam? nisi illud mihi prorsus arrisisse? Nihil enim melius vidi, nihilque eo modo usitatius.

Qua de caussa cum præclarissimorum Atestinorum, Estensiumque Principum Historiam præ manibus haberem.

Me fefellisti, Sardi. Non enim putavi, te tam longe ostentationem tuam sustinere posse, multo ante eam expectabam. Tu Illustrissimorum Principum, Ducum, Imperatorum Atestinorum [ut tuis vocibus utar] res præclare gestas scribis? hoc nulli quidem auditum, nisi quibuscum tu id falso jactitas. Si tamen ita est, misera illa Historia, infelicesque illi sunt Principes, qui sub tuum stylum venient. Tu enim illos toties eo jugulabis, quoties de illis verbum facies. O fortissima fortissimorum principum fasta, ut vestrum me miseret, ut vos iste perdet, coinquinabit, atque omni sua barbarie conspurcabit! Multo mediusfidius vobis satius erat jacere in tenebris, ex omnique hominum memoria prorsus evulsos esse, quam in eorum linguas per barbarissimam linguam venire. Sed bono animo estote, Heroes Atestii, Principem Herculem habetis, hoc est, Virum eum, qui nunquam ea monstra, quibus alienas Gentes perpurgavit, in suam Familiam insolenter inferri sinet. Tametsi non minor illi labor cum isto bove Apulo sit futurus, quam cum tauro olim Herculi fuit immanissimo. Sed hic tandem eam istius rationem habebit, quam stultissimorum hominum habere solet.

let. *Præ manibus*, [inquis] *habeo*. Ne moleſtum vobis ſit, Præfecti Viri, ſi Cyclopem iſtum totum conformare ſtudeam. A quo Latino viro habes hanc, Sardi, dicendi formam? quis te Romanus Scriptor eam docuit? cur non potius a me toties admonitus bonos imitaris in loquendo, quam iſtos tuos neſcio quos infantes, fatuos, barbaros? Cicero hoc ipſum dixit, *habere in manibus*, numquam *præ manibus*. Equidem quid ſit *præ dolore*, item *præ lacrymis*, *præ multitudine*, *præ mœrore*, *præ ſe*, *præ omnibus*, *præ ſalute* plane ſcio, *præ manibus*, iſto modo fateor neſcire me. At Amianus ſcit, & Ferretus meus Nullatenenſis utitur. At ſi tua Hiſtoria, & tui iſtius Nullatenenſis hujuſmodi locutionis genere ornata erit, ut certe erit, atque etiam pejori, illis eveniet, quod Amiano eveniſſe conſtat, ut a nullo legantur, ad tineas paſcendas edantur.

Studioſiſque operam pro virili navare cupiam, meum eſſe duxi rationes afferre, cur Principes noſtros Ateſtinos primum, Eſtenſes deinde appellarim.

Optimam equidem eis operam navaſti, ſed eo modo, quo Salinator Fabio navavit in recipiendo Tarento, qui id prius amiſerat. Ita tu in me provocando, non eos docendo, illis profuiſti, qui de mea in te recriminatione non pauca addiſcent.

Nec mihi vitio vertatur, velim, ſi in literaria palæſtra a Viro erudito diſſentiam.

Peream ego male, Sardi, niſi hoc uno ipſo, quod a me in literis diſſentis, poſſum tibi omnia recte cupere. Nihil enim mihi optabilius evenire potuit, quam tuam minime cum mea convenire ſententiam. Quin ego tibi affirmo, cum hæc ſcripta edebam, nihil tam me veritum eſſe, quam ne tu quoque illa vere, atque ex animi tui ſententia laudares. Putabam enim, ſi id mihi accidiſſet, ea nihil prorſus valere, ut quæ a nullius homine judicii probarentur; ut tecum magnopere omnes etiam atque etiam rogem, atque orem, ut non ſolum hoc tibi nulli dent vitio, ſed ea ratione te etiam ſumma proſequantur laude. Sed attendite, Studioſi, quibus iſte optimam

mam operam navare pollicetur, observate, inquam, auream metaphoram *in palæstra literaria*. Non ne hoc vobis Romanam eloquentiam redolere videtur? Sardus est iste; neque enim omnes servi Romæ aut Tirones, aut Laureæ, aut Terentii fuerunt, sed hujus plerunque similes, tantum venales.

Tradunt enim Sapientiores, veritatem multorum gladiis peti posse, at jugulari minime.

Ut recte, & sapienter a me. Nam pro me est veritas. Nihil enim hac tua tota nugatione quicquam es, quam meræ nugæ, insomnia, vanitas, stultitia, fatuitas; ego contra, omnia vera, certa, explicata protuli.

Non ignoro, virtutum omnium candorem esse propriam ignorantiam non ignorare, nec alienas virtutes negligere, quæ scimus ipsi, parva ducere, quæ alii, vel magni facere, vel saltem non contemnere, alioqui munus invidi est, atque maligni.

Tu igitur ista tua sanctissima sententia ab isto tuo candore alienissimus es, qui ignorantiam non solum non nosti tuam, sed quotidie eam etiam in tabernis ad imperitam multitudinem extollis, prædicas, jactas insolentius; qui omnium item invidissimus es, qui, quæ boni omnes comprobarunt, tu solus contempsisti, solusque repertus es, qui in ea si a te, inconsultissime, si ab aliis, levissime invehereris, tametsi non sine tua facies magna cum mercede. Multo enim major a me gratia tibi referetur, quam reris. Nostrum autem uter malignus sit, nostra scripta [nam vitæ rationem non est, quod in hunc locum referam] facile declarant. Conferamus, quæso, utraque ac quam paucissimis. Tu in tua Epistola nihil aliud es, quam invidia, quam ambitio, quam petulantia, quam livor, quam assentatio, quæ omnia vitia in malignitatis gremio cubant. Ego vero in mea quid aliud tam ago, quam ut modestissime meam sententiam dicam? literatos commoneam, ut mecum in hac voce sentiant? Certe nulli injuriam facio, neque quemquam aut capillis, aut per pedes in eam traho. Meam esse Latinam, aliorum contra, rationibus, argumentis, exemplis certissimis comprobavi. Si pru-

prudenter docere, amice commonere, cum summa modestia suam sententiam dicere maligni hominis esse judicatur, ego sane malignissimus omnium sum, qui hæc omnia summa egi cum modestia. At ego, qui sit malignus, rectius tibi exponam. Is autem est, qui suam mercedem egenis operis non reddit, clam de alio detrahit, bonos non audit, Christianum fratrem, ut dicimus, contemnit, ex sua mala ejus bonam mentem interpretatur, palam mentitur, jus, æquumque oppugnat, amicum prodit. Sed tuam sententiam sequor. Ais enim:

Et demum vires nostras ex alienis laboribus sic expendere, ut ex nostris alienas æstimemus.

Dii boni! adeste. Nodus est in fabula, & nodus vobis omnibus dignus. Ego neque Œdipus sum, neque Sphingem habeo, quæ mihi locum aperiat. Sane quid sit *expendere aliquid*, jampridem didici; quid vero sit *ex laboribus alienis vires nostras expendere*, fateor me ignorare. Divinabo tamen. Arbitror, istum sua sententia omnes monere voluisse, ut sua studia ex aliorum studiis expendant, non autem ex suis aliena. Id si ita est, ut probe, atque explicate dixerit, ipse cum suis viderit; ego vero providebo, ut istum ubique stultissimum esse ostendam. Ubi vero, silicernium, in tota mea Epistola me efferri sensisti? Ubi ego, inquam, umquam aliena studia præ meis studiis nihil feci? Ubi me cuiquam prætuli? quid in mea illa Epistola insolens fuit? nisi quod tui, cum Historiam scriberes Atestinam, nullam feci mentionem? Fateor erraste me, qui dignitatis tuæ rationem nullam in meis scriptis adhibuerim. Sed nolui, Sardi, sordidissimum hominem in mea scripta venire, ne tot honestissimas Familias unus mihi sordide contaminares.

Censeo itaque, novam hanc opinionem examinandam, & absque verborum fuco, sententiarumque lenocinio discutiendam, cum veritas exotico non indigeat ornamento.

Tu, lutum orationis, elegantiam *fucum* appellas? Tu, fatue, Latinam orationem *lenocinium* vocas? Tu, barbare, culte, atque ornate dicere, *fucate*, & *lenocinanter* dicere accusas? Sed quid mirum? si, qui in barbaris, atque

que insulsissimis Scriptoribus vitam egit, orationis ornatum, *fucum*, atque *lenocinium* appellat? At ego ita te explicabo, itaque stultitiam tuam aperiam [nam ore jampridem incedis quam fricatissimo] ut nullæ posthac tibi latebræ sint, ubi delitescas. Genus hominum barbarum, qui quoniam nullam orationis elegantiam, aut suavitatem consequi potuerunt, in quibus eam vident, eos inanes Scriptores, atque etiam [si Diis placet] fucatos esse criminari non cessant. Quæ sententia est in mea Epistola, quæ non sit suis rationibus fulta, majorumque exemplis comprobata? quæ cuiquam fucum facit? quo lenocinio utitur? Profer saltem particulam unam, totam ego Epistolam magis fucatam esse fatebor, quam tu es sine ullo aut verborum delectu, aut orationis ornatu. Sed de tua Historia credo loqui putabas, quæ non solum fucata, sed omnibus latrinis est coinquinatior. Ignoscite mihi, Viri optimi, Ferrinii, Lollii, Faletii, Didaci, Sarachii. Nam, quod iste a vobis quotidie abstulit, atque in eam conjecit, etsi id quoque misere, atque infeliciter fecit, totum tamen mihi maxime probatur. Quod vero istius est reliquum pusillum, nihil pejus, nihil contaminatius, nihil magis sordidum legi posse affirmo. At hoc ex iracundia, non ex veritate dicis. Proferat, Præfecti Viri, quam velit paginam ex suis istis voluminibus, nisi ego, quæ cujusque sunt eorum, quos nominavi, partes integras ab ejus manifeste discrevero, atque istam cornicem pulcherrimis pennis spoliatam, ac risum omnibus moventem reliquero, is Cycnus esto canorus, ego corvus, anser, noctua. Et tamen tam improbus erit, ut istam Historiam alienam pro sua jactandi finem sit nullum facturus. Nova vero mea est opinio. Nova, inquam, hoc est, magna, & Viris digna; tua vero stulta, vieta, ridicula.

At veritas nullo indiget exotico ornamento; satis illa quidem per se semper est ornata.

Quemadmodum mendacium, cujus tu sedes es, & habitatio, semper est turpe. Verum neque ipsa magis orationis cultum respuit, quam cæteræ virtutes. Quod si secus sit, turpiter fecit Cicero, qui virtutes omnes omnibus in locis splendida, luminosa, atque illustri oratione per-

pertractavit. Nisi sordes tuas ornandas esse magis voluisti, quas centum Padi non eluerent.

Atestinos, Princeps, appello, qui Atesti Oppidi habenas ad annos circiter septingentos duos moderati fuerunt, quos duodeviginti affirmo. Estenses postea alios sexdecim ejusdem stirpis Principes Viros, qui Ferrariensi Reipub. nostræ imperio felicibus auspiciis potiti sunt annos CCCL. *sicuti in nostris Commentariis multo accuratius explicavimus. Verum cum Privilegia splendidissimæ huic Familiæ concessa per Romanum Pontificem, ac Imperatores commemoro, Atestinos Principes tum appello Estenses, quoniam Privilegia his concessa fuere sub Estensi, non Atestino cognomine.*

Hoc quoque, ut multa alia, ad ostentationem tuam inanem plurimum facit, ad rem vero nihil. Proba mihi ex ratione, aut ex usu Latino aliquid esse *Estensem* vocem; deinde *Atestinum* esse Gentile nomen, non tantum Oppidanorum, aut eorum, quæ ad Oppidum spectant Ateste. Hoc proba. Vicisti. Nam quod tu discindas hanc nobilissimam Familiam, magis ad crudelissimum lanionem pertinet, quam ad nostram Disputationem. Sed quando tam belle ex una Atestiorum Familia duas efficis Familias. Quamdiu enim, inquis, Ateste tenuit hæc, tamdiu fuit Atestina, ut vero Ferrariensis Reip. imperio potita est, facta est Estensis. Cur autem istam tuam metamorphosim non perfecte exples? Cur inquam, si ita est, hanc posteriorem a Ferraria Ferrarinam non fecisti, quemadmodum priorem ab Ateste facis Atestinam? Unde autem tu, aut ex qua Historia, hoc monstrum eruisti? Sed tuum inventum est. Nunc redeo in memoriam. Pulcherrimum inventum, divinum excogitatum! commentum ingeniosum! Papæ! In hac Historia, Præfecti Viri, montes parturiunt, monstra magna, non murem pusillum edituri, ex quibus omnibus hoc fortasse non erit maximum. Sed Principem tamen habemus prudentissimum, qui, ut hæc abortum faciat potius, quam monstrum edat ullum, aliqua potione prudenter providebit. Sed heus tu, Familiarum nobilissimarum optime divisor, dic mihi, utrum magis novum, magisque inauditum, an Atestiam vocem meam ad Latinam rationem rectissime factam, an Atestinorum tuorum Familiam in duas ad nullorum & memoriam, & rationem discissam esse? Equidem vereor, si

ſi novum aliquod huic Familiæ aut ex ejus virtute, aut ex Principis filii Nuptiis accedat Imperium, ne ex tertio illo Regno magnum periculum ſit, quin eam quoque Chimeram efficias. Sed profer, puer, manum ob ſolæciſmum. Quid enim eſt *Ateſti Oppidi*? Num fortaſſe una eſt dicendi forma ex tuis Atticis Atticiſſimis, quibus Hiſtoria tua, quam ſæpius jactas, ornata eſt? An ex iis, quibus Studioſis te tantum profuturum polliceris? Si ita eſt, næ illa ſplendidiſſime erit ſcripta; ii vero tibi ſe, ſuaque omnia in perpetuum ut debeant, neceſſe eſt. O barbariſſime, quæ conjunctio eſt harum duarum vocum? Si *Ateſte* ablativi eſt caſus, quomodo convenit cum *Oppidi*? Cur non, ut Horatius dixit, *Præneſte relegi*? aut ſaltem *in Oppido Ateſte*, ut *in Urbe Roma*? Quia ſus es, & in luto ſemper volutabere. Porrige vero alteram ob alterum ſolœciſmum. Ohi, ohi, hei. Ohi tibi, qui tam ſenex es, & nondum loqui didiciſti. Dicendum enim tibi fuit *habenas Oppidi Ateſtis*, non autem *Ateſte*. Utramque vero porrige ob malam metaphoram. Dic mihi, fatue, quid eſt *Oppidi habenas moderari*? Num continuo Poetica magis, quam Oratoria eſt dicendi figura? quam ſi tamen Orator uſurpet, numquam dicet *Oppidi habenas*, quemadmodum nec Urbis; ſed Imperii, ſed Regni, ſed Reipublicæ & in cæteris ſimilibus. Vapula igitur ſæpius, verbero. Verum tuber totum caput tibi reddam, oportet, ſi ob ſingula errata ſingula tibi tantum inſigam verbera. Dic item mihi, quid eſt *Privilegium* apud Latinos? Quid item *Imperator*? Non alterum Lex, quæ uni tantum rogata ſit, ne quid ei liceat, quam tu contra vulgares tuos ſecutus perperam uſurpas? alterum vero, qui exercitui præſit? Cur non Latine, qui Latiniſſimus es, hunc *Cæſarem* appellaſti, illud vero *Diploma*? vel ita, *quæ noſtri Privilegia dicunt*? quia totus es barbarus, neque unquam Latinus fies.

Nec in Ateſtino, Eſtenſique cognomine ſic mutato me erraſſe arbitror, ſcribente Horatio:

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Totus iſte ubique error eſt, ut ſupra etiam videbatis.

Hic

Hic vero attendite, quam ſapiat. Primum quid dicat, non intelligit. Quid enim hic cadat, aut ceciderit, expecto, dum dicat. Nam qui cadere poſſit, quod nondum ſit, non video. Niſi vero verum verbum *Ateſtium* ceciderit, in ejus autem locum *Eſtenſe* ſucceſſerit. At, videte, quam iſtum adverſarium timeam. Ejus copias adaugere placet, quod ipſe non vidit, quas tamen a nobis eſſe poſtea comprobabimus, atque ſtatim ex ipſo Horatio, ubi ait:

Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit: licuit, ſemperque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.

Deinde ex Cicerone, qui ita quoque præcipit dicens: *Stoicorum autem non ignoras, quam ſit ſubtile & ſpinoſum potius diſſerendi genus, idque cum Græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda ſunt, imponendaque novis rebus nomina.* Quorum Virorum auctoritate, præſertim Ciceronis, video hominem iſtum altius inſurgere, ſeque totum erigere, ac de me quærere. Quid ergo, Ricci? quid ais etiam ad Ciceronem tuum? Ego ne? te eſſe hominem imperitiſſimum, qui Horatium non intellexiſti, Ciceronem ne vidiſti quidem, utrumque vero recte præcepiſſe, ſed ambos a me eſſe. A te? qui hoc fieri poteſt? immo, ut a te ſint, nullo modo fieri poteſt. Igitur hoc quoque de me diſce, tecumque Studioſi tui, atque adeo tui Magiſtri. Sed per interrogationem hanc partem tecum exequi volo. Quare mihi reſpondebis ad ea, quæ te rogabo. Ita faciam. Quæro igitur, cum Horatius & Cicero hæc præcepta de nominibus rebus novis imponendis dant, quibuſcum eos agere credas? Cur quibuſcum ego credam? Ita. Num omnibus hominibus dicebant? etiam abhinc, qui ultimos venturi eſſent in annos? Quando ego tibi dico, Sardi, ut ex omni ligno non fit Mercurius, ſic non eſſe omnium hominum ſcire literas, me tibi cum tuam iſtam ſcribendi felicitatem, tum rerum omnium ſcientiam divinam credis ſubinvidere. Quid hoc eſt? Negas ne, quæ præcipiunt Scriptores, non pertinere communiter ad omnes? Et quicquid diſputat de Officiis Cicero, quicquid de morte contemnenda, de dolore tolerando, & de cæteris animi perturbationibus ſuperandis præcipit, non pertinere ad omnes homines, qui ſunt, quique cæteros futuri ſunt in annos? Domi-

ne, ita, etiam iis, qui subter nos habitare putantur. Quid igitur si nos hac ratione rei novæ novum facimus nomen Latinum? Ecce barbaram arrogantiam. Intellige jam quomodo hi Latinæ linguæ optimi magistri præcipiant. Dic tandem novam istam tuam expositionem. Tibi nova; eruditis non ita. Nam cum dicunt, rebus novis recte nova imponi posse nomina, omnibus iis quidem Gentibus, & Gallis, & Hispanis, & Germanis, & Italis [ut cæteros nunc omittam] eo modo dicunt, ut quæque Gens in suis rebus id recte facere possit. Id quod semper licuisse, atque etiam fore semper, ut liceat, affirmant; ut vero alia in alienis id efficeret, non ita. Nam neque Hispani rebus novis Gallicis, neque contra Galli Hispanis nova faciunt nomina, itaque neque cæteri cæteris, sed quisque tantum suis. Ecquid hoc tibi videtur? tui solius esse sententiam. Omitte vero cujus sit. Ecquid eam probas? magis, quæ aliorum est omnium, mihi probatur. Quæ vero aliorum? Ciceronem audi, qui planius in meam sententiam dicere non posset. Hic enim mihi optime cavet, ne contra tuos istos me dixisse clames, ac vivis me tuis istis assentationibus in magnum odium adducas, quos a me tantopere contemni insimulas. Is ita inquit: *idque cum Græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt, imponendaque novis rebus nomina.* Quid planius expectes, aut quem graviorem Auctorem desideres, non video. Cicero est Auctor. Res autem ita testata, ut nihil magis testatum esse possit. Suis, inquit, rebus novis cuique nova nomina facienda sunt, ut Græcis suis, nobis nostris; ut, cum etiam locupletissimam Græcam linguam haberent Romani, unde multa nomina rebus suis petere possent, id tamen Cicero non admitteret; sed sibi parienda esse sua diceret; ut, quod de duabus linguis dictum sit, id de omnibus recte dictum esse, videri possit. Nam si omnibus promiscue dictum esset; Stipulatores, Medici, Consultores in Jure, quorum voluminibus omnia sunt plena, qui isto modo scribunt, res novas suo nomine in Latinis appellantes, Latinissimi haberentur; quod tantum abest, ut sit, ut ipsi quoque se barbaros esse dictitent. Sed quoniam hac eadem de re multo copiosius in procemio secundi libri de Imitatione disputavimus, illuc te rejicio, siquid hoc loco desiderabis. At Quintilianus ait: *Ergo consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum,*

rum,

rum, ficut vivendi confenfum bonorum. Nihil commodius. Siquidem dicendi ratio nihil aliud fit, quam ufus omnibus, vel faltem peritis comprobatus; fed in fua femper cuique lingua: ut Græcis in Græca, Latinis in Latina, in qua & Fabius agebat. Hujus enim ætas ab Horatii ætate CL. annos plus minus diftabat. At idem Fabius atque eo etiam Capite, quod tu citafti, item ait; *Sic in loquendo non, fi quid vitiofe multis infederit, pro regula fermonis accipiendum erit. Nam ut tranfeam, quemadmodum vulgo imperiti loquuntur; tota fæpe Theatra, & omnem Circi turbam exclamaffe barbare fcimus*. Quibus verbis Quintilianus tuos damnat, qui primi Eftenfi Familiæ nomen fecerunt barbarum; deinde eos quoque, qui illos vitiofe locutos funt fecuti, non me, qui ex Latina ratione mea voce Ateftia eorum barbatiem correxi; ut jam planiffime videas, non folum, quæ a te adducuntur, tuam rationem nihil confirmare, fed etiam eam deftruere, atque ea a me quoque effe, tibi vero maxime adverfari.

Quare [fequeris] *fi vel loquendo ufus, vel eruditiffimi Viri Ateftium recepiffent, ficuti Ateftinum, & Eftenfem, hac in voce, licet hactenus inaudita, eruditiffima hunc Virum fequendum arbitrarer, nec me puderet fateri ignoraffe, quod ignoraffem*.

Pergis nugari. Recte ufus tuam vocem recepit, fed non Latinus, de quo Quintilianus, fed Italicus; contra mea ratione Latina probatur, ut Latina fit, immo Latinorum Virorum. Qui funt ifti Latini Viri poft tot fecula? Strotii, Calcagnini, Guarini, Bembi, Pontani, Barbari. Doctiffimos tu quidem mihi Viros adducis, nec a me minus cultos, quam a te. Certe a me magis ingenue, qui cum illis vere ago, tu vero nifi adulatorie. Dico ego, Sardi, Viros iftos literatos, addo etiam quofdam ex eis eloquentiffimos fuiffe, verum in alienis literis, in aliena lingua, [quod ad locum hunc facit] doctiffimos fuiffe dico, ex qua tantum auferre poterant faciliime, quantum erat ad eorum ufum neceffarium; qui vero contra de fua in eam quicquam, nifi ad ejus rationem aliquam optime factum, intermifcere potuerint, nunquam mihi probabitur.

Fateor [inquis] *Atestinam vocem esse vel ab Oppido, ut eidem placet, vel potius a Principibus nostris, ut arbitror, significareque Civem ex eo Municipio ortum, vel aliquid alìud, quod ad Oppidum pertineat.*

Quid autem arbitraris ? Proferendum est, qui arbitreris. Nam aut re ipsa, aut argumentis, & rationibus, non autem disputantium opinione probatur in disputando.

Verum peto ex ipso, utrum arbitretur, Atestinos Principes Oppido, an Oppidum eis nomen dedisse ? Si illud dicet, sequetur, Atestinos non esse ex Atestina Principum cognatione, quæ ante Oppidum erat in rerum natura: at si alterum, sequetur etiam Oppidum tam Civibus, quam Atestinis Principibus cognomen dedisse, quod negabatur, dum asserebatur, Atestinam vocem tantum dici de loco originis, & non de Familia, ut infra pluribus.

Hic necesse est, Præfecti Viri, ut me victum fatear: effugere non possum: conclusus sum. Eo enim iste me dilemmate aggressus est, ut neutram in partem nulla mihi detur explicatio. Quærit enim de me vaferrimus iste captator, ac subtilissimus disputator, utrum ego teneam, Gentem Atestiam Oppido antiquiorem, nec ne? ut utrum respondeam, me captiose concludat, ac de me triumphet. Sed contra videamus, ut iste suis laqueis se induerit. Dico igitur, me primum tenere Atestiam Familiam non solum Oppido Ateste, sed multo etiam, quam Patavium, fuisse vetustiorem. Ergo hæc potius nomen Oppido dedit, quam ab eo acceperit. Hei mihi, quid egi imprudentius? ut mea confessione confessus sum? O sicophantam stolidissimum! O nebulonem imperitissimum! Quid dilemma tuum hac in parte concludit? Quia vetustior fuit Familia, ergo Oppido nomen dedit? Hoc modo etiam concludes, Vincentiorum Familiam, quæ centum Vincentiis antiquior est, Vincentiæ nomen dedisse, quam tamen scimus a Gallis conditam fuisse. Ferrarii item, quæ Familia initium suum repetit ab usque invento ferro, Ferrariam ista tua ratione & condidissent, & nomen ei dedissent, & tamen, a quo ea quoque & condita, & unde nomen nacta sit, nemo nescit. Quid

vero

vero si, qui Oppida, Urbesque condunt, magis de suo, quam de Familiarum nomine, eas appellant, ut Romam Romulus, Constantinopolim Constantinus, & multas Alexandrias Alexandri de suis nominibus appellarunt? Deinde vero nego, aliunde Gentem hanc oriundam & Ateste natam esse, & coaltam, parvis etiam suis [ut res cæteræ] initiis, sed virtute sua Oppidi ditionis potitam, qua una etiam postea tantum valuit, ut Muncipiolo illi tam latam, tamque nobilem ditionem addiderit, quantam hoc tempore sub Hercule secundo feliciter gubernat. Quid nunc ages? Sequetur, inquies, ut tam Principibus nomen sit Atestinum, quam etiam Oppidanis. Numquam vidi argutius concludi, immo vero ista ratione tua Principibus nostris geminanda vox erit ista *Atestina*. Nam, si Atestini erant etiam Cives, itemque Atestini Principes facti, ut Principes a Civibus nomine dignoscantur, Atestini Atestini erunt Principes appellandi. Bella mehercule appellandi ratio; ut tuo isto dilemmate, quam sis ridiculus, ipse quoque jam videre possis.

Ad hanc igitur æquivocationem evitandam (pergis) *ad Principes Viros Atestinos addo Comites, Marchiones, Duces; nam sex fuisse Comites, quatuor & viginti Marchiones, ac Duces quatuor, ut, qui nostra legent horum Principum Commentaria, facile intelligent.*

Ego, inquis, *ad hanc æquivocationem tollendam Comites, Marchiones, Duces addo*. Sed omnino stultus es. Neque enim hac quoque additione vitabis, quin tua stultitia manifestius appareat. Dic mihi, tergiversator callidissime, quot ex hac Familia aut Comites, [ut tuo more loquar] aut Marchiones, aut Duces habes? Triginta quatuor, si recte rationem inivi, respondebis. Quæro ego item contra, in hac frequentissima Familia quot fuerint, qui his titulis caruerint? Multi sane, item respondebis; immo vero innumerabiles. Quid igitur facies in his appellandis? quo istos Marchione? quo Comite? quo Duce ab Oppidanis secluseris? Et tam cæcus es, qui hæc non videris? Etsi multo etiam apertiora non vides, quæ ego ne omnem meam gloriam in te misero conficiendo aucupari videar, facile tibi sum condonaturus. Vos, Viri Studiosi, hic aures arrigite, calamum capite,

 obser-

observate Latinam dicendi formam elegantissimam, in æs eam incidite, ac auro postea vacuas literas opplete. Ea autem est: *horum Principum mea Commentaria*. Dii boni, quid hoc est monstri? Hirtii Cæsaris Commentaria? Item Pontificum rerum suarum Annales? Item Livii Romanorum Historia? quis, inquam, ita Latine loquitur? Num fortasse tuus Episcopus Nullatenensis, quem ita admiraris, ut etiam Apulejo interdum eum præferas? Certe, Sardi, si istis luminibus tuam Historiam habes distinctam, ea non una tantum, sed centum digna est immunitatibus. Verum si id tu non vidisti, cur tui doctissimi Magistri te non admonuerunt, eo in loco dicendum esse, *qui nostra de rebus Principum Estensium Commentaria legent*? Sed, credo, te omnes pro ridiculo habuerunt.

Quod autem scribit, (sequeris) *ad nostram præsentis temporis rationem Nomina propria ponenda esse loco Prænominis, quæ nostri sua lingua propria Nomina appellant, ut Hercules, & Ferantus, quæ cum suis Familiis sic se habent ut C. & L. & reliqua Prænomina cum suis, affirmans, quod sic scriberet Herc. Atestium & Ferantum Gonzaghium. Hæc ille.*

Mentiris nunc. Isthæc enim mea non sunt omnia. Repete Epistolam meam, sensum meum id quidem est, sed tu aliquantulum id mihi coinquinasti. Pergis.

Sed si Romano instituto, ut tradidit & ante eum Diomedes, & Donatus, & Plutarchus, scribebatur vel una, vel duabus, vel tribus literis, cur ipse in Prænomine Herc. quatuor addidit? h *enim esse, vel non esse literam, non desunt qui affirment, & cur Prænomen Ferantus omnibus literis explicuit contra id, quod scripsit, Prænomen scilicet numquam literis explicatis esse scribendum? Propriæ ne sententiæ oblitus fuerit, viderint sapientiores.*

Dii tibi malum dent maximum, explorator pessime. Ego enim volebam, hanc mei solius esse sententiam, & tu eam a me Diomedi, Donato, ac Plutarcho adjudicasti, quasi quæ cætera sentio, non cum bonis sentiam, & quæ loquor, non cum uno Cicerone loqui studeam omnia. Certe ego id de te non possum dicere, qui aut a

te

-te omnia ineptiſſime dicis, aut malos non ſolum imitaris, ſed etiam facile ſuperas. Quod ego una plus litera *Herc.* ſcribam, quam præcipio, mera tua eſt ineptia. Nam Hermes, ſi tantum *Her.* ſcripſiſſem, interpretari quoque poſſet: *c* literam quartam, non autem, ut tu dicis, *literas quatuor addidi*. Ubi enim ſunt quatuor iſtæ literæ, quæ additæ ſunt, vaniſſime? fatuiſſime? cur non dixti? cur quatuor ipſe literis ſcripſiſti? non autem quatuor addis? quia ubique tui es ſimillimus, hoc eſt in bonis literis multo minus, quam *b* illa tua. Quod autem ad *Ferantus*, *tus* additum eſſe a librario dico. At quinque tamen erunt literæ. At nihili homo es, qui hæc puerilia ſecteris, nec videas tandem me dixiſſe, certe hoc nunquam omnibus literis explicatum legi. Illud vero etiam probe, ſplendideque, Studioſi, obſervate dicendi copiam, atque elegantiam ſingularem, cum pro *utrum* poſuit *eſſe*, *vel non eſſe*, cum ait: h *enim eſſe*, *vel non eſſe literam*. Ecquid hoc vobis videtur? Sardum eſſe Ciceronem, Ciceronem Sardum. Recte. Sed pergit.

Si Ateſtius, & Gonzaghius ſunt Nomina propria, ut inquit.

Mentiris iterum. Hoc enim numquam a me eſt dictum. Nam apud meos bonos nuſquam eſt vox iſta Nomen proprium hoc modo, neque ego eam ex tuis uſurparem Sequeris ergo.

Ii Principes his ſacro fonte abluti fuere, ex Sacerdote primum, qui Herculem & Ferantum nominavit, deinde ab ipſo, dum pro Hercule Ateſtium, pro Feranto Gonzaghium nuncupavit, quod quidem eſt contra Sacrorum Canonum Decreta, Romanorumque Pontificum Conſtitutiones.

O mirum hominem, & omnium rerum ſcientia omni cumulate refertum etiam in Sacris Literis! Neſciebam, Sardi, te Sacras quoque Literas coinquinaſſe. Paulo poſt tecum agam reverentius, quando etiam de Canonibus ſcis loqui. Vidiſtis hominem umquam, Præfecti Viri, magis ridiculum? magis infacetum? magis inſulſum? quique ineptius riſum quæritet? Sed hujus fatuitatem omittamus, tametſi a malitia ſua non diſcedit. Non enim

ego dixi pro *Hercule Ateſtium* , neque pro *Feranto Gonzaghium* , ſed *Herculem Ateſtium* , *Feran. Gonzaghium*.

Sed ſatis, inquit, *jocati ſumus. Pudet enim hæc tam levia tractare*.

Jocus medius fidius urbaniſſimus, corrector autem modeſtiſſimus. Quaſi vero in tota iſta ſua longiſſima Epiſtola quicquam Viro dignum tractet, aut quod non leviſſimum atque inaniſſimum, quando etiam Gonzagam ſcribi a me perperam per Z. auſus ſit paulo infra contendere; & tamen ipſe quoque eo item modo vocem eam ſcribit, niſi meum z ejus ſ poſtea correxit.

Nec arbitror, eum ignorare, tametſi ſecus ſcribat vel ingenii ſui oſtentandi, vel alieni vellicandi gratia, omnes alios eruditos Gonzagam Principum Mantuanorum Familiam, non Gonzagiam nuncupaſſe.

Ego, Sardi, hoc unum ſcio, te, cum olim inſaniſſes, numquam poſtea integre ad ſanitatem rediiſſe, nunc autem tibi opus eſſe centum Anticyris. Ego oſtentandi cauſſa ingenii mei hæc ſcripſi? an tu inſaniæ tuæ magis detegendæ in ea ſcripſiſti? Ego iſtas inanitates conſector? Ego eo perveni, quo potui, *ſi non datur ultra*; facile in eo acquieſco; pro quo etiam Diis gratias habeo, habeboque, dum vivam. Sed tu, qui in triviis, qui in conventibus imperitæ multitudinis, qui in tabernis omnibus haſce inanes auras captas, de tuo iſto animo de cæteris falſo exiſtimas.

Inquit enim Baptiſta Carmelita Poeta celeberrimus ad Ludovicum, Sigiſmundumque Gonzagam:

Præſidium, Sigiſmunde, meum, pater ingeniorum,
Stirps Gonzaga ſacro caput inſignita Galero.

Ames ſine rivali, judicioſiſſime Sardi, tuos iſtos celeberrimos Carmelitas, tuas delicias, in iis te te oblecta, atque habita. Sed dic mihi, optime Poeta, tuus iſte celeberrimus Carmelita cujus generis eſt Poeta? Dic item mihi, Poetarum faber, in primo iſto tui Carmelitæ verſu *um Sigis* qui pes eſt? Quid taces? Dic, dic. Dactylus.

-lus. Dactylus prima & postrema longa? Quibus flagris nunc cædendus esses? Amphimacrum pedem hunc docti vocant, qui numquam cadit in versum hexametrum. Cur non vidisti, bis puer, *Sismonde*, non autem *Sigismonde* & legendum, & scribendum esse? etiam taces? At ego tibi dicam, quia *magnus es ardelio*. Quid vero si ego quoque Poetam habeo multo isto tuo cucullato excellentiorem Civem nostrum Thebaldeum, qui *Gonzaghium* dixit, non *Gonzagam*? Is ita inquit in argutissimo Epigrammate, quo Francisci Gonzaghii equorum celeritatem in Olympiis celebrat:

Enceladi, Cæique Soror, quæ nuntia veri,
Et falsi terras trajicis & maria,
Ut sis in cursu velocior, exue pennas,
Gonzaghiique citis utere Regis equis:

Pergis postea:

Sed de Gonzaga satis, de Atestina vero Familia inferius. Fateor ingenue, si ad Herculem Atestium non addidisset Ferrariæ Principem, hunc Atestium me ignorasse, cum sciam, humanissimum Principem nostrum ex uxore nobilissima plures suscepisse liberos. Dicere autem ipsum Atestium, hoc est, sine testibus, piaculum esse arbitror. Non enim debuit Principem nostrum emasculare.

De istius urbanitate, an scurrilitate potius, Præfecti Viri, proprius locus est paulo infra, ubi totum istum vobis ridendum, atque etiam deridendum reservo. Nunc vero de te, Grammatista, quæro, quam rationem secutus sis in tuo isto Atestio ejus significationis formando. Nam cum duo sint (quod ego viderim] apud Latinos nomina ita facta, alterum *apis*, quamquam etiam sunt, qui hoc negent, ab *a* & *pes* factum, alterum *apella*, quo Horatius utitur de Hebræo, quasi qui sit *sine pelle* propter penis glandulæ involucrum circumcisum, cum horum neutro tua forma in *ius* convenit. Equidem magis, si id mihi dicendum sit, *Atestem* dicerem, quam *Atestium*. Sed aliorum hoc sit judicium. Certe ipsa es impudentia, qui in tanta persona tam scurriliter risum quæras. At ego tibi dico, te Virum Principem habere, qui te pro tuis istis turpissimis ridiculis tractabit, neque umquam a scurrili mimo Historiam suam scribi permittet.

De

De Verbo autem *emasculare* nihil dico. Sensi enim continuo vos, Studiosi, Verbum observasse, & jure quidem. Optima vox enim est aurei ejus seculi, rotunda, splendida, aurea. Sed heus tu, qui totus testis es, quique nisi per mortem, [ut tuo Verbo utar] emasculari potes, unde Verbum hoc deprompsisti tam Latinum? tam usitatum? tam elegans? Ab Apulejo Cicerone meo. Quid tibi vis? An quæ Cicero non dixerit, quæ mihi opus sint, si mei Apuleji dixerint, ego non dicam? Et te, & tui similes audiam, qui in uno Cicerone omnes constringitis? Nimis [mea quidem sententia] inops esset Latina oratio, nimis cæteri viles, si, nisi quod unus Cicero dixerit, omnibus dicendum sit. Et ego omnium stultissimus sum, qui asinum tam patienter doceam, cui opus esset non flagris, sed fustibus ulmeis. Redi, redi ad tuos asinos, neve amplius frugibus abutare, sed ad gramen cum tuis te tandem confer.

At si Attestium per duplex tt *scripsisset, ut Hermolaus Barbarus refert, se legisse in vetusto lapide scriptos esse Attestinos, evitasset utique privationis notam ab* a *litera, infixam, cui adhæret, dictioni.*

Insaniam profecto cum isto, Præfecti Viri, si omnibus istius ineptiis mihi respondendum sit. Si Ateste, unde Atestius, unico *t* scribitur, qui tu vis in derivativo alterum *t* addi? Est ne fortasse hæc compositio, ut *d* convertatur in *t*? Quid vero, si Ateste primam brevem habet, ut *Urbis Atestinæ*? Sequeris etiam.

Nomen, quod vere nomen est apud Latinos, vocem suam in ius *terminare, ut Sempronius, Fabius, Posthumius, & alia nomina per eum adducta, neque umquam aliter fieri, nisi in una Pompejorum, &* ejus*, si quæ sunt similes familiæ, quæ ideo cæterarum familiarum terminationem non servat, quia* i *prior consonans sit. Sed quoniam in hoc tota vis disputationis residet, animadvertendum puto, hanc non ipsius, sed Possidonii Philosophi fuisse opinionem in Coriolano, & Mario a Plutarcho relatam, sed alibi rejectam, dum inquit*; id genus argumenta innumerabilia consuetudinis inconstantia suppeditat.

Si

Si nondum ſenſiſti, quam ſtolidus ſis, quamque inanis [non enim hoc in loco mentiri te arbitror, ſed oſcitanter in errorem delapſum certo ſcio] nunc faciam, ut prorſus ſentias. Animadvertendum eſſe dicis, & recte. Fiunt enim literatis a nobis inſidiæ. Quæ autem eæ ſunt? Poſſidonium Philoſophum ante me hoc ipſum dixiſſe. Non ne ita eſt? Ita. Ubi vero? In Mario, apud Plutarchum; item in Coriolano. Dormit iſte legendo, Præfecti Viri; itaque poſtea mira ſcribit inſomnia. Plutarchus enim hoc nuſquam. Hæc enim in Mario ejus ſunt verba ad literam deſcripta. *Nec C. Marii, quemadmodum neque Q. Sertorii, qui Iberos in jus, ditionemque Pop. Rom. redegit, neque L. Mummii, qui Corinthum delevit, tertium nomen dicere poſſumus. Nam Achaicus huic, ut Africanus Scipioni, ut Metello Numidicus ex re geſta cognomen fuit. Ex quo magnopere Poſſidonius reprehenſione dignos putat eos, qui cenſent, tertium nomen Romanis proprium eſſe, ut Camillum, ut Marcellum, ut Catonem. Nam qui tantummodo duobus nominibus nuncupantur, nomine carerent. Errat autem, quod hac ratione rurſus ipſe ſine nomine mulieres eſſe voluit. Nulli enim mulieri primum nomen imponitur, quod proprium apud Romanos Poſſidonius eſſe arbitratur; cæterorum vero aliud commune a cognatione ductum eſſe, ut Pompejos, Manlios, Cornelios, tanquam ſi quis Heraclidas, & Pelopidas diceret; aliud vero denominatum appoſitum ex rebus geſtis, vel ex natura, vel ex aliqua figura & modo corporis putat, ut Macrinum, & Torquatum, Syllam, Mnemona, Grypum, & Callinicum; id genus argumenta innumerabilia conſuetudinis inconſtantia ſuppeditat.* Hactenus Plutarchus. Ubi vero is locus eſt, quem tu animadvertendum eſſe tantopere præcipis? Ubi, inquam, eo in loco, aut etiam alibi ulla mentio de nominis terminatione a Plutarcho eſt facta? Tantum is de tribus nominibus agit, quæ ipſe prima, & ſecunda, & tertia appellat nomina, aut ego cæcus ſum, & tu Argo ipſo multo es oculatior. Quid vero, Præfecti Viri, ſi ego deprehendi iſtius inſomnium, atque miram hallucinationem? Attendite, quæſo, ſi umquam attendiſtis. Res enim totum veſtrum riſum poſtulat. Audiſtis, *Iberos in jus, ditionemque redegit*, in Plutarcho legi. Dii omnes me male perdant, niſi iſte furore ſuo tractus illud *jus*, eam terminationem in *ius*, quam ego dico, eſſe putavit.

Ita-

Itaque sibi confinxit sua negligentia Possidonium terminationem illam in *jus* eo in loco dixisse. Et non iste cuique mirandum in modum insanire videbitur? Et egere non solum magna hellebori vi, sed etiam compedibus multo crassioribus? At quantus, quantus hic est, totus est ostentatio. Possidonii Philosophi, inquit, est sententia. Nusquam est in Plutarcho, *Philosophi*, tantum *Possidonius* legitur. Cur igitur tu *Philosophi* vocem addidisti? Ut meam sapientiam magis ostentarem. Recte sane. Tametsi stultitiam tuam magis declarasti. Cur autem non rectius *Grammaticum* dixisti, quando ad Philosophum nihil attinet de nominum Romanorum terminatione quærere; Grammaticus vero etiam in his habeat, qui volumina conficiat? Quia non tam doctus videri poteram, si *Grammatici* addidissem, ut in *Philosophi*. At hoc modo etiam, ut maxime omnibus ridiculus esses, effecisti. Vix hodie a Plutarcho discedam. Audistis, *id genus argumenta innumerabilia consuetudinis inconstantia suppeditat*; quibus verbis iste intelligit Possidonii sententiam rejectam esse: & miser non videt, referri ad postremam Plutarchi partem, cum agit de cognomine, quod multis de caussis apponi dicit, cujus cum quædam exempla adduxisset, ut qui omnia connumerare nequiret, subdit, *id genus argumenta innumerabilia consuetudinis inconstantia suppeditat*; quasi dixisset, & cætera id genus innumerabilia exempla, quæ consuetudinis inconstantia suggerit. At jam satis, ut arbitror, constat de Mario. Quid vero de Coriolano? Tantumdem. Totam enim illam partem consumit Plutarchus in reddenda ratione, unde cognomina imponantur. De vocis autem terminatione nihil prorsus. Pergis postea.

Dicendum igitur, puto, non esse semper verum, quod nomen post prænomen terminetur in ius.

Puto, jam vos vidisse sæpe apud istum nomina omnia esse. Nihil enim discernit prænomen a nomine, neque cognomen ab utroque, sed facit nomen primi, & secundi, & tertii loci. Nonne hoc satis est ad Romanorum nominum rationis cognitionem? Immo etiam superque. Dictum autem est supra, in disputando nihil valere, *ego puto*, & tu tamen nihil aliud affers ad probandum. Profer

ter quæ aliam terminationem habeant; vicisti. Tametsi pergis.

Quod patet ex Livio, Plutarcho, Cicerone, & Aulo Gellio. Livius scribit plebem dedisse Tribunos militares consulari potestate C. Sextilium, L. Antistium, & M. Albinum, non Albinium.

Ut ubique doctum facit, ac sapientiam suam ostentat! Nonne hic homo dignus est, cui centum Historiæ ranariæ scribendæ possint fideliter committi? Tria dicit: ex iis duo mecum faciunt, tertium contra istum. Nam Sextilius, & Antistius meam rationem sequuntur. Albinus nomen esse nego, sed cognomen Posthumiæ familiæ; unde M. Posthumius Albinus, qui Tribunus militaris fuit cum M. Æmilio Mamerco, & Aulus Posthumius Albinus, qui Consul fuit cum M. Antonio; Albinus vero prorsus nihil esse. Pergit autem se postea totum detegere, atque adeo sua summa cum ostentatione. Catalogum enim scribit omnium cognominum Romanorum, quæ ipse Familiarum nomina esse profitetur.

Ut, L. Lucullum, non Lucullium; C. Cottam, non Cottiam; Q. Scævolam, M. Scaurum, M. Lepidum, Syllam Faustum, L. Metellum, L. Pisonem, Q. Gallum, Q. Philippum, & demum duos Dolabellas.

O fœtidum stercus, quanto magis te moveo, tanto pejus, graviusque oles. Utrum hoc loco me istius, Præfecti Viri, magis pudeat, an misereat, non facile dixerim: qui miser non videt quanto magis in congerendis nominibus laborat, tanto se magis stultitiæ suæ cumulum adaugere. Sed non tam miror, te hoc nescire, quam etiam tuos, quid enim tuum? Magistros istos hoc ipsum præteriisse. Sed tui sunt similes. Scito igitur, omnium rerum ignarissime, quando hoc quoque, quod planissimum est, non vidisti, quas hic innumerabiles in tuum catalogum congessisti voces, nomen Gentis nullum significare; sed omnes esse cognomina, sive tu mavis dicere cognomenta. Nam Lucullorum familia fuit Licinia, ex qua M. Licinius Lucullus, qui Consul fuit cum C. Cassio Varro; Cottarum Aurelia, unde M. Aurelius Cotta, qui

in

in Consulatu suo collegam habuit L. Lucinium Lucullum; Scævolarum Mutia, ex qua Q. Mutius Scævola; Lepidorum Æmilia, ex qua M. Æmilius Lepidus Porcina, qui Consul fuit cum Hostilio Mancino; Syllæ vero Cornelia; Metellorum Cæcilia; Pisonum Calpurnia; Galli Annia; Bruti Junia; Philipporum Martia; postremo Dolabellarum Cornelia. Ita tu cæterarum Familiarum nomina tuis cognominibus, si Livium fideliter adeas, nullo negotio conjunges: quin etiam, ut hoc amplius habeas, quædam cognomina pluribus Familiis convenire reperies, ut Cato. Nam Cato & Porciæ Familiæ cognomen est, & Hostiliæ. Item Piso tam Calpurniæ, quam etiam Puppiæ; ut etiam contra uni Familiæ plura fuerunt cognomina, ut Arvina, Cossus, Mamula in Corneliorum Familia. Quin etiam cum in suo iste catalogo sæpe in Familiarum nomen incidit, ea tamen stultitia est, ut illa non cognoscat, ut cum dicit Aurelium Cottam, & C. Servilium, & T. Pompilium, eas voces Familiarum esse nomina non sentiat. At in fine ait:

Diem contererem verbis, si omnes numerare vellem &c.

Ut, miser, deliras! Potes etiam addere quid apud Antipodes fiat, ut longius etiam tempus consumas. Tam enim ad id, quod teris, pertinebit, quam quod de Romanis adducis.

Ad hæc, si adesset aliquis proprio nomine & cognomine ex Privernatibus, & Fidenatibus, vel Campanis, eruditissimus iste [ni fallor] more suo, Privernatium, Fidenatium, vel Campanium vocaret, cum Livius, Plutarchus, Plinius, Cicero Privernatem, Fidenatem, Campanum appellarint.

Neque Livium, neque etiam Plutarchum ita umquam locutos arbitror; certe Cicero numquam Privernatem dixit, nisi pro Cive ex Priverno Oppido. Nam Ciceronis tempore, & toto illo, quod nos intelligimus, numquam probabis, Familiam denominatam esse a Patria, quæ eodem nomine cum ea appellaretur. Vetus est Ravenna, neque Patavium Urbs multo junior; ac quoniam de Romanis agimus, quorum plenæ sunt omnium Historiæ, monstra

mihi

mihi ab harum Urbium quavis istam Familiæ tuæ denominationem, ut Fabius Ravennas, Ravennas; Cœlius Patavinus, Patavinus; Romulus Romanus, Romanus, pro eo, quod vulgo dicimus, *Fabio d' i Ravenni, da Ravenna; Celio d' i Padoani, da Padoa; Romulo delli Romani, da Roma*; quæ mera sunt insomnia. Verum falsa loquitur; sed polite tamen loquitur. Cur potius, *si adesset*, quam *si esset*? Quid enim hic præsentia Verbi opus est? Præterea quid disjungit, particula illa *vel*, cum dicis *Privernatium, Fidenatium, vel Campanium*? copulam magis locus postulat, quam disjunctivam. Sed nescis literas, neque nisi fœno a bestiis differs, & tui isti patroni aut prævaricatores sunt, qui ita te in caussa destituant, aut prorsus ignari, qui tam manifesta non videant.

Nego etiam Atestinam vocem dici tantum de loco originis, non de Familia, vel cognatione.

Proba & de Familia dici Atestinum. Non enim hoc tuæ inanitati concedo. Forma vocem similem Familiarum vocibus cæteris; tum concedam. Permitto etiam, ut de tuis istis quæras vel in longum tempus. Attendite vero, Studiosi, dicendi elegantissimam formam: *nego etiam Atestinam vocem dici tantum de loco originis, non de Familia, vel cognatione*. Quid enim dicat, Sphinx intelligat.

Quod patet [sequeris] *ut dicebam. Si Atestina Principum nostrorum Familia nomen dedit Oppido; non enim video quid repugnet eandem vocem significare & Familiam, & locum originis.*

Te quidem patet maxime ridiculum esse, qui, quod nusquam legitur, tua assertione probare coneris. Dico, Patavinum, Vicentinum, Prænestinum, Faventinum, Florentinum, & cætera ejus generis nomina, ad Patriam tantum, non autem ad Familiam pertinere. Qui contra tecum sentiunt, probent rationibus, atque exemplis; concedam. Quoad autem tacent, aut isthæc ex ore tuo garriunt, se victos esse fatentur.

Est apud & Venetos, exempli gratia, Pisana Familia nobi-

bilissima Pisis orta, Venetias translata, cujus posteri Venetiis orti sunt. Extat & in Civitate nostra Pisana Familia. Si cui igitur hujus Familiæ viro proprium nomen esset Pisanus, hunc appellarem Pisanum cognominis Pisani, auctore Sabellico, non Pisanium: & præsertim cum Cardinalis in hac Familia celeberrimus se dici Pisanum velit, non Pisanium, voce inaudita, ne dicam barbara.

Tametsi in Epistola mea, unde hoc totum iste sibi sumpsit, huic parti a me satisfactum est; brevi tamen repetam. Facerem, inquam, in isto tuo Pisanio, qui de Gentis suæ nomine more nostro Italico appellaretur, quod feci in Rizzo, & Manzolo; Pisanum Pisanium dicerem. Nam si ita est, ut Pisanus sit & Gentis, & Patriæ nomen, qui differet Cardinalis Pisanus Venetus a mulione Pisano? aut etiam a Cardinali Pisano? Sed quid illud? Ubi estis, Studiosi? Vos iste hodie ita doctos reddet, ut posthac vobis Magistro nihil opus sit. Notate igitur illud: *hunc appellarem Pisanum cognominis Pisani*. Ego te non ad pueros accuso: ad tuos Magistros re revoco, quos, si ita te loqui docuerunt, infantissimos esse dico. Nam, qui recte loquuntur, non fucate, dicunt *de*, aut *ex Gentis cognomine*, non autem *Gentis cognominis*. Si vero ii recte te docuerunt, tuusque iste totus error est, eos admoneo, ut posthac in te diligentius caveant, ni tuæ stultitiæ majorem partem ferre velint. Utrum vero magis Cardinalis probet Pisanum se, quam Pisanium, nescis quid dicas; tantum pergis ignotis etiam adulari.

Fateor, resarcinatorem, & navicularium in Ateste Oppido natos Atestinos nuncupari. Mirum est, quin hoc quoque non neges. Quod intelligo a loco originis, non a cognomine Principum nostrorum, modo sint ii Atestini, ut Principes. Quare, ut dixi, resarcinatorem ab hac perillustri Familia excludo, addendo Comites, Marchiones, ac Duces.

Qui cæcus est, ad eundem lapidem sæpius offendit. Dictum est, non omnes ex hac Familia esse Comites, Marchiones, Duces; qui cæteros vocabis? Attendite vero, Studiosi, ad elegantiam, *excludo* pro *distinguo*, ac *separo* bellissime positum. Pergit item.

Non

Nonne apud nos extat Comaclensis nomine, & cognomine Ghillinus? Ludovicum vero Catum quo vocaret cognomine? ipse exprimat. Ætatem enim habet. Pudicis ego auribus parcendum duco. Sed videat iste volens mutare nomen Cati, id est, sapientis in vocem obscœnam, an ei liceat. Vereor, ne Catus, qui manu gerit scipionem (podagra enim laborat) novum hunc censorem probris, minisque, ne dicam verberibus, prosequeretur. Petrus autem Bembus Cardinalis eruditissimus Thadæum Ghillinum, qui Antistitis erat frater, non Ghillinium vocat.

Omitto nunc quam composite, quamque ex ordine rem hic suam prosequatur. Videtis enim ipsi, ut a Comaclensi ad Catium composite transeat; deinde postea iterum ad Ghillinum ineptissime redeat. Hic vero locus est, Præfecti Viri, quem paulo ante vobis pollicitus sum, ubi istum abunde rideretis. Continuo igitur videtis, quam belle, quam sæpe, quam modeste risum iste ex auditoribus quærat, Modo enim eum a testibus, modo a Catio commovere studet. Sed nec hoc admodum mirum est. Nam cum suis quisque, quam cum alienis, libentius versatur; atque ab eis potius, si quid opis opus sit, illud petere, quam ab aliis, solet. O sanctum hominem, qui nisi in furfure in sacro despuis! Immo magnus es, Sardi, hypocrita. At ego non, ut qui obscœnitate ulla magis, quam tu, delecter; sed ut te doceam in hoc nullam omnino esse, dicam, a Catus, mea, hoc est, Latina ratione, Catius fieret. Ohe turpissimum hominem, obscœnissimam vocem a Cato, hoc est sapiente, Catium fieri? Ohe vero & tu, qui non solum sapientia, sed etiam sanctitas es, unde es factus? Tametsi magis omnino a lignario fabro factus videris, qui te etiam male dolavit. Sed videamus in hac voce, cujus te tantopere puduit, ubi isthæc obscœnitas lateat, qui cum ad eam venisti, quasi qui anguem presseris, pedem cum voce repressisti, neque nunc ad Ciceronis rationem aut in voce, aut in re. Id enim ex eo habere potes, modo Epistolam eam per tuam castitatem legere, aut etiam per ignorantiam intelligere tibi liceat, sed in voce tantum. Id autem erit cum majorum, tum etiam recentiorum exemplo, qui ab hisce nominibus obscœnis nomina aut Familiarum, aut locorum, aut rerum qua-

quarundam traxerunt, qui propterea aut aliena iis nominibus appellare, aut se etiam ab aliis appellari, minime piaculum habuerunt. Quæro igitur ego de te, numquid uspiam legeris, qui omnia omnium Scriptorum volumina devorasti, ullam istius nominis factam esse mentionem; idque etiam apud majorum gentium Scriptores, ne quid tibi tergiversationis relinquatur? Si neges, te vidisse, id quoque a me cum multis aliis nunc vide. Lege igitur apud Livium in tertiæ Decadis libro septimo, ubi hæc sunt ejus verba. *Ædilis Quintus Catius, & Livius Porcius Licinus*, & quæ sequuntur. Vides ne, Republica sanctissima stante, atque adeo florente, Romæ Catiorum Familiam fuisse? ex qua etiam Ædiles fuerunt? Cicero item, quem locum scio te prorsus non vidisse, ut qui ab eo semper abhorrueris, in tuis Platinis, Apulejis, Volaterranis, Ricobaldis, Beneventis, Antianis, & fæce reliqua, versatus es; non & ipse Cassium Catium Insubrem Philosophum Epicureum nominat? quo in loco ex voce *Insuber*, non autem *insuper*, ut male legebatur, multos alios fuisse eo nomine facile conjici potest, nisi tu me dedita opera ex *insuper*, *Insuber* fecisse inepte insimules. Hos sequitur Horatius, qui in Satyra quarta secundi libri ita ait: *Unde, & quo Catius?* ut negare non possis, Romæ Catiorum Familiam, eamque minime ignobilem, vel longo tempore fuisse. Hoc loco si solus sis, continuo hæsitabis, quidque respondeas non habebis: verum si Magistri tui tibi adsint, fortasse tibi in aurem suggerent: dic Romanis vocem illam in obscœnis non fuisse. Istos quoque audio. At Strabones? Bestiæ? Scrophæ? Asina? Mus? Lupus? & ejus generis reliqua, num infamiæ fuerunt? Sed a re ipsa ne discedamus. Mentula Latina vox est, eademque cum Priapo, atque Latinis in ea obscœnitate fuit, qua etiam apud nos est tuus Caccius. Fuit tamen homo Mentula nomine, in quem Catullus non semel jocatur. Conus item Latinum est verbum, quod tua ista ratione in pari, atque Catius, obscœnitate poni posse videtur. Num ita est. At Conus optimus citharœdus fuit, quique Socratem castissimum Virum fidibus docuit; neque tamen cum appellaretur etiam ab ipso Socrate sanctissimo Viro, alio nomine, quam Cono, neque ulla honoris præfatione adhibita, appellabatur.

tur. Ecquid ais, pudicissima virgo? Vestalis sacerdos? Nondum sentis, nullam turpitudinem esse in verbis ad hunc modum usurpatis? Cætera multa, quæ mecum faciunt in hanc sententiam, prudenter sunt a Cicerone disputata ad Pætum. Illa inde tibi sumere poteris, nisi ad Pætum etiam nasum obturans refugeris. Nos vero ad recentiores redeamus, ut in nostro etiam Italico sermone hanc religionem tibi prorsus eripiamus, ac aliquando virum efficiamus. Ego, Sardi, quid intersit inter Caccium, & Cojonum [quando in barbaris vocibus versari me cogis] non satis video, nisi quod numero multo plures sunt Cojoni, quam Caccii. Germani sunt omnino, ac proximi vicini, parque utriusque, si ulla tamen est, in voce obscœnitas est. Bergomi tamen omnes sciunt nobilissimam Familiam adhuc esse Cojonorum, ex qua egregius Imperator extitit Bartholomæus Cojonus. Ex hac Familia, licet quæras ex nuptis, ex virginibus, ex viduis, ex Vestalibus qua ex Familia sint, respondebunt omnes, ex Cojonorum Familia se esse. Hui mulieres impudicas. Multo vero hæ honestiores sunt, quam quæ stomachum ad eam vocem simulant, & sceleratissima faciunt adulteria. Quid autem tu, qui superas omnes castissimas pudicitia, & religione, quid, inquam, facies, cum in tua Historia incideris in tantum Virum? Num verbum, quia obscœnum putas, præteribis? An novum aliud sanctum tibi conformabis? Credo Cojonum, vel saltem Colionum, tametsi nihil admodum intersit, nominabis: & non contaminabis os istud tuum? In Historia, quæ est vitæ hominum magistra, tam obscœne, tam turpiter scribere non perhorresces? At honorem præfabor. Scilicet *ibus mortuis*. Tamen si quid sit, nimis crebro id tibi usurpandum erit. Sed istos Cojonos omitto, atque ad tuos Caccios redeo. Scis ne tu, homo omnium rerum ignarissime, in agro Mirandulensi esse Cacciorum Familiam frequentem? Novariæ vero item nobilissimam? in Brixiensi item agro locum hoc nomine minime infrequentem? Quid quod Mediolani, in Urbe tam magna, quam etiam nobili, dulciaria hoc nomine pueris, puellisque venalia circumferuntur? In agro Bononiensi meorum Cuspiorum villa est nomine Cazzano dicta. Pueri, puellæ, nuptæ, viduæ suo hæc omnia nomine sine ulla religione appellant. Nosti denique Sinapium doctissimum Virum? Is uxorem

habet Bucironam nomine dictam. Nulla vox ad nostri Italici sermonis rationem obscœnior proferri potest; quæque magis digna sit, quæ comburatur. Apud quos item tot annos habitarit, optime nosti; a nemine tamen ex frequentissima illa Familia alio, quam suo, appellata est nomine. Quibus rationibus plane vides, quam ista tua obscœnitas etiam ingenuis contempta, atque ad nihilum redacta sit. Sed neque ego tamen tam obscœnus sum, Sardi, ut tu reris, qui, quæ natura ipsa in occulto in homine abdidit, ac hominum postea verecundia excepit, atque conservavit, ea & vulgo detegi, & in ore obscœne omnibus versari velim; sed tecum contendo, quædam, quæ alias obscœnissima essent, in Familiarum, locorum, ac rerum quarundam appellationibus, si non prorsus honesta, certe minus turpia fieri ad appellandum. Quin ego, quod ad Catium & tuum & meum attinet, multo eum arbitror malle & Caccium, & Cullum etiam appellari, quam ita, ut facit, a podagris quotidie distorqueri, a quibus nihil ei propius est, quam ut Caccio quoque more tuo capiatur: quæ nomina ego statim tamen facile corrigerem. Catium enim per *t* proferrem sua natura, ut fit etiam in *vitium*, & in *litium* genitivis. Itaque Catium dicerem, non Caccium. Ex Cullo vero continuo vel Culleolum, vel Culleonem efficerem aptissime, eumque Civitate utroque modo donarem Romana. Scipionem vero mihi objicis, mastigia? Tui similes fustibus castigantur, Viri os præ se ferunt, verberones scapulas præbent, easque gerunt cicatricosas, & ulmeis flagris descriptas. Nolo tecum alio stylo rem gerere, quam hoc, quo scribo. Quo enim ferro te confodiam, nihil interest. Omnino hoc ipso, nisi lapis es, te brevi perdam. Ætatem equidem habeo, & qua tua vitia, tuam ambitionem, tuas ineptias facile cognoscam; tametsi ita ea manifesta sunt, ut adolescentulo etiam filio tuo maximam curam afferant.

Arbitror præterea, Pontanum, Bembum, Sadoletum, Hermolaumque Barbarum, qui ævo suo in utraque literatura primas sibi vendicarunt, ipsorummet cognomina Latine scripsisse.

De istis in Epistola mea modestissime dixi; nunc vero tibi nihil aliud dicam, nisi, ut iterum, & sæpius Quinti-

tilianum tuum confulas. Heus, heus, Studiofi, dormitis ne? Obfervate, *fuo ævo*, pro *fua ætate* elegantiffime dictum. Neque minus item illud politum, quod dixit; *in utraque literatura*. Quid vero illud? *ipforummet cognomina fcripfiffe*. Nonne Latiniffimum, ac Ciceronianiffimum eft? Omnia igitur conferte diligenter in codicem.

Id probant Jacobi antiquarii, Hieronymi Donati, Angeli Politiani, denique Joannis Pici eruditiffimæ ad Hermolaum Epiftolæ.

Quæras etiam fi quos alios habeas, profer omnia fcrinia tua, atque etiam tuorum Magiftrorum. Evolve omnes tuos Platinas, Italos, Germanos, Gallos, Hifpanos, quos cum unum in locum collegeris, quæres poftea de Quintiliano, quam recte locuti fint, qui fcribit: *Non, fi quid vitiofe multis infederit, pro regula fermonis excipiendum erit.*

Sed vide, quæfo, amice cariffime, ne fit vox barbara Vincenzus, & Rizzus per z fcriptus, cum numquam id repe-riatur.

Heus, bone Vir, me nunc amicum cariffimum vocas? Unde tibi tam cito tam factus fum carus, quem modo ne noras quidem? quem *cujufdam* appellabas? cui etiam ad Chriftianam Epiftolam tam improbe refpondes, nunc cariffimum nominas? I modo, charitatemque iftam tuis Magiftris, qui te in has anguftias conjecerunt, elargire. Tametfi habes neminem, quem verius eo nomine, quam me, appellare poffis, a quo folo veritatem in tuis fcriptis corrigendis femper audifti, quam etiam nunc audis. Sed, quod inftat, agamus. Barbaras voces *Vincenznm*, & *Rizzum* effe dicis, quafi ego eas Latinas umquam fecerim. Certe malignus es, qui contra quam ego dico, aufus es adducere in tua Epiftola. Nonne legitur in mea eo in loco, *quid fit?* quod eft dubitantis, non autem affirmantis. Præterea vero nonne fecunda correctio eft addita, ut qui priori non fatis ftarem? cum fubdidi; *quod fi minus Latinum videbitur, habeo, qui melius dicam*. Sed ubique es impudentiffimus.

Et videat rursus, ne sit divinatio dicere, T. Livium pro Publio Publicium, & pro Appio Appustium scribere debuisse. Qua enim id sentiat auctoritate, eadem quoque posse rejici [ni fallor] non ambigo.

Quæris a me auctoritatem in correctione prænominum Publicii, & Appustii. Certe ea sunt Familiarum nomina, nec dissimillima Publio, & Appio. Sed tu, quam mihi affers auctoritatem de dividenda Principum nostrorum Familia? quam tu in *Atestinam* alteram, & *Estensem* alteram scidisti? Affer tu rationem ullam veri similem; vicisti. At ego imprudens, qui non fidem habeam doctissimo homini in Jure, in Canonibus, in Philosophia, quique secreta Cœli terris aperiat. Sed redeo ad locum. Meam modestiam non sensisti. Nec mirum, qui lapis es, stipes, plumbeus. Locum igitur repete, & videbis fortasse vocem me quodammodo in ea correctione sustinere, ne scilicet totus in eam sententiam ire viderer. Verum si ipse affirmas, duo prænomina uni nomini præferri recte, ego tibi credo, ne suda id mihi probare. Tanta enim est tua auctoritas, ut vel etiam tria tuo periculo recte præferri posse existimem. O hominem nequam! Si ego Appium, alterum prænomen, quod omnino tollendum fuit, ut corrigerem potius, quam ut delerem, in Appustium, quæ vox Familiæ fuit Romanæ, commutavi, atque ita ex C. Appio C. Appustium feci, auctoritatem a me quæris? Certe mea nulla est auctoritas; tamen ex ingenio multa quotidie a doctis corriguntur, in quorum numero aliquo me quoque docti habere videntur, in quo te quoque tui habent tabernarii. At Manutii auctoritas non parva, neque ingenium est mediocre. Is quoque locum emendavit, atque ex Appio Ampium fecit. Quid? num eum quoque divinare insimulabis? Tametsi hoc quidem recte est divinare; tuum autem prorsus somniare, atque adeo insanire.

Nec puto, illos in manifestum errorem lapsos fuisse, vel barbarorum usu, vel veterum Scriptorum ignoratione, qui Atestios, & Estenses commemorant. Nam Cœlius Rhodiginus, summus Græci, Latinique sermonis indagator, inquit, Atestinos Principes ab eruditis, Estenses vero ab imperitis nuncupari.

Et

Et Rhodiginus in Eſtenſi voce mecum facit, qui barbaram vocem eſſe novit. Illum igitur accuſa, qui tuos imperitos, qui Eſtenſi voce uſi ſunt, tam aperte improbat, in qua ſua altera voce recte, cum eam Latinam eſſe ſenſit; cum vero cum Gente eam communicat, non ita. Itaque cum Ateſtios Eſtenſes appellas, cum iis tu quoque barbare agis: in qua voce tanto crebrior es, quanto tui Eſtenſes, quam Ateſtini, plures, ac majori cum Imperio, tum etiam rebus præclare geſtis fuerunt.

Cum igitur Ateſtinos voco, ab imperitis diſſentio. Nonne poſt Rhodiginum Petrus Bembus Purpuratus Antiſtes tribus in Epiſtolis Ateſtinos appellat? nonne Paulus Jovius Novocomenſis Epiſcopus, politioribus diſciplinis valde conſpicuus, in vita Pandulphi Colenutii, Herculis Strozzæ, Alberti Pii, Ludovici Arioſti, Cœliique Calcagnini Ateſtinos commemorat? nonne Strozza pater, & filius, Viri omnium judicio eruditiſſimi, Poetæque celeberrimi, Ateſtinos Principes vocant? quos dum ſequor, me barbarum eſſe non arbitror.

Non eos ego barbaros eſſe dixi, qui Ateſtina voce ſunt uſi pro Ateſtia noſtra, ſed improprie locutos eſſe & dixi, & probavi. Tu vero eorum Virorum auctoritate pugnas, qui ſi de hac voce, & multis hujus generis aliis conſuli poſſent, id arbitror, quod qui adhuc vivunt, tibi reſponderent, Latinam re vera meam eſſe vocem, ſe vero recentiorum uſum ſecutos, culpamque hanc omnem in eos, hoc eſt, tui ſimiles, qui primi vocem eam uſurpaſſent, facile conjicerent.

Eſtenſem autem vocem pro barbara exploſam non fuiſſe affirmo, ut ipſe differebat. Si enim hæc vox eſſet barbara, barbarus utique eſſet Sabellicus, Longolius ab eo numquam ſatis laudatus, Pontanus, Aldus Manutius, Cœlius Calcagninus, Baptiſta pater, & Alexander filius, Guarini, Strozza pater, Lilius Gregorius, Cinthiuſque Joannes Baptiſta Gyraldi, & M. Antonius Antimachus, Poeta præclariſſimus, & in utraque literatura nemini ſecundus, aliique complures & Poetæ, & Oratores. Sabellicus enim in Chronicis Mundi, & Venetorum, & in Libello de Latinæ linguę proprietate; Longolius quinque in Epiſtolis ad Octavium

 Gri-

Grimoaldum; Pontanus in Libello de liberalitate, Borsium Estensem commemorans, in Cœlum usque extollit. Aldus Manutius Graece, Latineque eruditissimus in funere Herculis Strozzæ, & cætera illa infinita manus.

Videte, quæso, Præfecti Viri, spectatam hominis impudentiam. Nam, quam vocem modo de Rhodigini sententia imperitorum esse confessus est, eandem nunc minime barbaram esse contendit, hoc est, eam esse peritorum; ut etiam præstigiatorem interdum agat, qui in lorulis proponat, utrum velitis? utrumque tamen suum habeat certum. Dic mihi, Sardi, Romæ ne venales fuerint Sardi? Recte. Tu recte inde originem ducis, qui nihil agis ingenue, omnia, ut servus nequam. Ea enim mihi ratione ubique Guarinos, Gyraldos, Antimachos, Catos objicis, ut propterea mihi irati sint, quia ii omnes & Atestina, & Estensi voce sunt usi. Sed ii Viri sunt, quique tuam istam inanem assentationem facile sentiunt, & ut ingenui Viri eam odio habent. Si tamen isti sententiæ meæ non consentient, Quintiliano ut consentiant, necesse erit.

Quare novus hic Censor putare debebat, quid accidere posset, si impostor aliquis, aut malevolus Principi nostro humanissimo grandem dicam ex mutata cognatione impingeret, ei fraus aliqua fieret, qua a Juribus & sibi, & Majoribus concessis caderet, si Atestium, non Estensem se appellaret; cum tabulæ, ejusque Privilegia Atestium cognomen non agnoscant.

Totam hanc partem, Præfecti Viri, quæ omnino ineptissima est, a Guarino sumpsit. Vult enim & ipse hoc modo jocari in Catulli Epigrammatis secundi expositione adversus quendam, qui Varinum eum magis, quam Guarinum appellare se debere contendebat. Qui legerit, facile viderit. Sed videamus, quam iste in suo risu se aliis irridendum præbeat. Si ita est, ut nominis commutatione huic Familiæ tantum periculum afferatur; non tu idem multo ante creasti, cum eam ex Atestina facis Estensem? Nam Ateste Oppidum, & tota illa peninsula, quæ ubertate vel Siciliam insulam prope superat,

jure

jure hæreditario huic Familiæ venit ; si vero tabulæ Atestinis tantum eam ditionem adjudicent, tuque jampridem eam ex ista nova Estensi ad internecionem adduxeris, jure optimo, quantum in te est, ea ditione cecidit Atestina Familia. Quin etiam tuum periculum multo meo gravius, multoque certius est periculo. Nam quod a me times huic Familiæ, id ea feliciter possidet, nec quavis Urbium verberatione maxima amittet, vi, virtuteque sua id defendet, tuebiturque, at quod tu ei damni affers, jam in aliena est positum ditione, manuque, qua, & armis longe sumus inferiores ad pugnandum, & tua ista Familiæ metamorphosi, etiam jure ad litigandum, atque eo magis, cum tu Privilegia nostra appelles: quæ vox eorum erat, quibus aliquid publice prohibebatur. Sed expecto Historiam tuam hisce luminibus optime distinctam, ut ego te probe in ea exornatum reddam. Verum si ita est, quod iste tantopere timere videtur, ut qui nunc alio nomine vocentur, atque olim, de bonis suis discedendum sit, continuo Bononienses ex vestris bonis cedite. Nam Felsineorum illa sunt bona. Imolenses, alio commigrate inquilini. Nam Urbs ista est Forum Cornelii. Beneventani sedes mutate. Nam isthæc loca antiquitus sunt Maleventanorum. Vos vero hujus Cives, Sardi, cedite insula. Sandaliorum enim ea est multo ante, quam vestra. Sed heus tu, Juris etiam consultissime, num Legis oblitus es, qui ab ovo recorderis? Dic mihi, quid jubet Jus tuum? num ejus hæc sunt verba, ff? *Si quis in nomine* Institu. de Legat. *Si quis in nomine testator, vel cognomine, vel prænomine, vel agnomine legatarii erraverit, si de persona constet, nihilominus valet legatum:* idemque in hæredibus servari Jurisconsulti tradunt. Quid igitur ais? immo vero somnias? ineptis? insanis? Tibi omnino fatendum est, te nihil scire, nisi in plateis coaxare, atque cum cujusque generis hominibus tuas inanitates jactare, cum etiam. Sed sacrum est, nolo cum sacris rem habere.

Sed vellem ab isto Viro eruditissimo doceri, cur Longolius Æstenses Principes scribat per æ, *&* *Bonfadius in Chronicis Ungarorum Hestensem per* h *ante* e.

Dici non posset, Sardi, quam ubique tua ironia mihi pla-

placeat. Nam aliquid esse me nunc certo scio, cum tu nihil esse me judicas; molestissimeque contra accideret, si ex animo, atque vere me laudares. Putarem enim, me eum esse, quem tu existimas, hoc est, hominem nullius pretii. Tametsi recte hic tu quidem a me doceri cupis, a quo videlicet alias etiam sæpius edoctus es, atque ad summum meum fastidium. Verum hæc puerilia de aliquo tuo Grammatista tibi quærere licebit, cui, cum te ea docuerit, gratiam quam maximam referes, quod te nihil scire docuerit; a me vero, idque gratis, disce, *Ungaros*, tuam vocem esse, non Latinam.

Præterea vero, si Eminentissimus Princeps noster Anglis, Hispanis, Gallis, Germanis, ac Datiis, ne dicam Italis, scriberet, Herculem Atestium externi, finitimive populi eum non agnoscerent; si vero Hercules Estensis cognomen adderet, ab omnibus utique cognitus esset.

Si mihi hoc loco tibi respondendum sit, dicam, te isto tuo modo barbariem tuam optime comprobare. Nam qui ad barbaros scribunt, eorum lingua uti solent, ut ab eis intelligantur. Sed gravissimum Auctorem habeo, quem refellere non poteris; cum quia probatissimus est Auctor, tum quia a te in hanc ipsam disputationem est apposite citatus, qui tibi libere, atque absolute respondeat. Is autem est Quintilianus, quem & veritatis, & honoris caussa jam sæpius adduco, qui vocem tuam *Estensem* Latinam esse pernegat. Locum igitur tuum repete, atque tibi ipse ex eo responde. *Fateor*, inquit, *uniuscujusque nomen ad voluntatis propriæ libitum imponi ex Aristotelis; ex Platonis vero sententia secus est. Nominandum namque est ea ratione, qua rerum ipsarum natura nominare, ac nominari postulat; non autem pro nostræ voluntatis arbitrio, cum nominum intelligentia haud res parva sit. Hæc Plato: & quidem Platone digna.* Sed dic, te quæso, primum, mi Sardule, doctule, argutule, blandule, dic, amabo, senex amabilissime, nec te pigeat unam alienam tantum plumam hoc in loco deponere; a quo admonitus es, Platonem ab Aristotele in nominis mutatione dissentire? Nam in cæteris exemplis tuæ istius Epistolæ tua manu perscriptis ambos optime convenire faciebas. Quid taces? Non sedulo agis, Sardule. Quid vero

vero si ego tibi dicam ? num saltem fatebere ? Verum neque ego id faciam. Satis tibi sit, atque adeo illi, me, qui is fuerit, tam belle scire, quam ipsi scitis, quando is de meis verbis te correxit. Verum miror, qui non id quoque te admonuerit, totam illam de Platone partem delendam esse, ne mihi validissimam ansam præberes ad disputandum, si Aristoteles mihi non satis probaretur, præsertim cum Platone consentienti. Sed tuam stultitiam ejus consilio majorem fuisse arbitror, qui ut Platonem vidisse videreris, satis habuisti; utrum vero recte eum citares, nihil curasti, ut item in Plutarcho, & Quintiliano, & Lege illa. Atqui ego Platonis de ista tua nominis mutatione sententiam sequor, qua nihil commodius dici posset. Inquit enim: ea ratione nomina rebus imponenda sunt, ut earum natura in iis aliquo modo significetur: quibus verbis quasi permittat, qui ab suis ignaris inane nomen, atque adeo maxime naturæ suæ adversum inditum habeat, is id ad naturam suam accommodans, recte sibi commutare possit; id quod in Astyanacta, atque Scamandro placuisse probat. Nam cum Regius puer in Scamandri nomine nihil Regii haberet, eum magis Astyanacta appellandum esse censuit; in qua voce extrema Rex inest. Siquidem *Anax* idem est cum *Rege*; ut item si quis Regius filius Sardus vocaretur, quoniam in ea voce servitus magis significatur, quam libertas, vel certe nihil in ea est, quod principatu dignum sit, si in Herculem, aut Hectorem, aut Cæsarem, aut horum cujusvis simile Regium nomen commutaretur, rectissima fieret ratione, quemadmodum a nobis factum est ex Estensi barbaro in Latinis, item ex Atestino improprio, qui ex utroque proprium, & Latinum fecimus Atestium. Ob Anglos autem, ut etiam ob Ungaros, de Studiosis optime mereris. Discite, Studiosi, Latine loqui a barbaro, atque infantissimo. Et non mecum in istius impudentiam calamum sumitis? atque ita istum raptatis, ut dignum est, qui vos ita ludibrio habuerit, ut falsissima, atque barbarissima vos docere profiteatur ? Quid vero illud ? *ne dicam Italis*. Primo enim loco dicendum fuit, *Italis, ne dicam Germanis, Hispanis, Gallis.*

Fateor quoque ex Diocletianæ Legis sanctione Prænomen, Nomen, & Cognomen unumquemque suum posse mutare, dum-

dummodo in alterius fraudem id non fiat. Quam Legis dispositionem amplexus Egnatius, qui jamdiu Venetiis utramque linguam ita profitetur, ut ei humaniores literæ plurimum debeant, cum prius Baptista Cipellius vocaretur, mutato nomine, se dici voluit Egnatium; Fabius Vigil, Spoletanus Antistes, cui nomen Fabius Vetulæ; Pierius Valerianus, prius Petrus Valerii; Phædrus, clarissimus Orator Romanus, Thomas Ingerarrus dicebatur: Politianus, prius de Monte Pulciano; Dominicus Calderinus, prius de Calderinis; Janus Aulus Parrhasius, prius Joannes Paulus de Parisiis nuncupabatur. Videat itaque Auctor Epistolæ, de qua supra, unumquemque suum Nomen, Prænomen, & Cognomen posse mutare, non alienum.

Ego, Præfecti Viri, numquam prudentiorem virum, magisque argutum disputatorem vidi, neque credo quemquam vestrum etiam vidisse. Hactenus, quæ undique iste in caussa sua corroboranda collegit, ea omnia a nobis esse, facile sensistis. Hoc autem de Lege, quam de nominis commutandi ratione citat, nihil, quod magis a nobis sit, nihilque, quod magis contra istum faciat, adduci potuit. Ego certe, qui caussam meam tam studiose ago, quam videtis, gravius argumentum ad vocem meam Atestiam confirmandam excogitare nequivissem, ut in hoc me multo istum doctiorem fuisse, mihi fatendum sit, qui caussæ meæ, quam ego fecerim, multo magis profuerit, ut nisi caussam suam ageret, prævaricari eum omnes facile suspicari possent. Lex enim, inquit, permittit, quemque nomen suum sibi permutare, modo id sine alterius fiat fraude. Itaque Viri literatissimi, atque optimi, alii ex Cipellio in Egnatium; alii ex Petro in Pierium; alii ex Joanne in Janum, alii ex Dominico in Domitium; alii ex alio in aliud recte nomen suum converterunt: ad quorum morum rationem optimam ego quoque Legis ejus beneficio utens, ab Estensi barbara voce, atque ab Atestina impropria, feci propriam vocem meam, & Latinam hujusce Familiæ Atestiam. At fraus magna facta est. Nam periculum maximum huic Familiæ hoc modo creatur, ne illam impostor, ejus ipsius tabulis alieno nomine conscriptis, de ditione, ac rerum omnium possessione facile deturbet, atque dejiciat. Ad hæc supra responsum est, satis esse ex Lege, si constet de persona.

ſona. Nunc quid ſit ſine alterius fraude, in Lege videndum reſtat. Cum igitur homines, cum cæteris rebus, ex nomine plerumque cognoſcantur, in ea nota commutanda Lex prudenter cavit, ne id ſcilicet, in alterius fraudem fieret, hoc eſt, ne quis Sardus nomine, qui Bononiæ aut furtum feciſſet, aut creditorem feſelliſſet, aut aliquo alio hujus generis modo aliquem fraudaſſet, alioque commigraſſet, ibique ſe poſtea quovis alio, quam ſuo, nomine appellaret, ne Bononiæ reſcitum iri poſſet, ubi gentium ageret, hic ex Lege in fraudem alterius ſibi nomen commutaſſe, rectius accuſaretur; non qui ex Maria Marium, ex Antonio Aonium elegantiæ cauſſa fecerit; & ut nos ex Eſtenſi, atque etiam Ateſtino, & Latinitatem, & proprietatem ſecuti, fecimus Ateſtium. In quo meo nomine commutando tantum abeſt, ut ulla cuiquam fraus adſit, ut in eo ſumma etiam utilitas, ac dignitas multis comparata ſit, qui ſe a barbaro nomine, atque improprio ad Latinum, ac maxime proprium, novo nomine vendicatos eſſe vident. Sed quid erit, Vir doctiſſime, atque Juris conſultiſſime, ſi ego iſta ipſa Lege tua tibi item probo, Eſtenſe, niſi in fraudem ſuorum poſterorum, ita primum eſſe dictum? Quid tum ages? Mihi igitur reſponde, & ſedulo reſponde. Ita enim tecum ago. Si quis vir Chriſtianus ſe Judæum ex conſuetudine, quæ illi aſſidua cum Judæis intercederet, dici permiſiſſet, num hic alicui in ſua illa appellatione alieniſſima fraudem faceret? Quid ni? Cui vero? Primum ſibi ipſi, qui ita ſe appellari permitteret. Omittas, ſibi ipſi. Ita enim vellet. Num alii cuipiam? Ejus liberis, & familiæ reliquæ. Cur autem hoc ad familiam? Quia id cognominis cum poſteris etiam communicari poſſet. Ita ne vero? Ita. Si quis igitur ſe barbaro nomine volens, ac lubens appellaret, recte ne faceret, quantum ad poſteros? Quid taces? Reſponde. Sed ſe victum iſte ſenſit, Præfecti Viri. Itaque tacet. Ego tamen concludam: qui primi hujus Familiæ barbaro ſe appellarunt nomine, quoniam in fraudem poſterorum factum videtur, eos minime recte feciſſe arguo: qui vero poſteris eorum errorem corrigere volunt, eos rectiſſime facere per Legem probatur. Sed neque Principes in Familiæ ſuæ appellatione barbara quicquam ſunt accuſandi, qui magis armis, quam literis, ſtuduerunt, atque ea parare, quæ memoriæ cæteris ſuis ſcriptis, quam ipſi,

alie-

aliena mandarent. Sed tui similes barbari Scriptores, qui ita eos nominarunt, pœna summa essent mulctandi.

Si igitur proprium nomen, vel cognomen, mutare velit, suo id faciat arbitratu. Estenses autem, qui Estenses volunt dici, ne lædat, ipsorumque cognomen ne mutet, etiamsi Estensis *vox esset barbara. Quid enim impediat non video, si homo Latinus barbaro nomine, vel cognomine, vellet nuncupari. Exempli gratia, Guarinus, hæc vox est barbara, ut traditur. Non enim apud Latinos reperitur dictio incipiens a* G, *sequente* U, *& alia vocali. Si igitur Guarinus vult, se dici Guarinum, quid tum postea? Cuinam facit injuriam? Nonne ejus posteri hoc quoque gaudent cognomine?*

Numquam vidi rectius disputationem ullam concludi, quam istam tuam, quæ cum ratione vincere non potest, vi obtinere conatur. Quid enim, inquis, si ita hæc Familia se barbaro suo nomine, quam Latino tuo, mavult appellari? Num tu eam coges, ut tuam sententiam in sui appellatione magis sequatur? O omnium qui sunt, qui fuerunt, quique omnes futuri sunt in annos imperitissime, inanissime, stultissime. Ita ne a tuo Aristotele disputare didicisti? Aliud est velle se appellari eo nomine, aliud Estensem vocem Latinam esse probare: quod quoniam facere non potes, ad has insanias refugis.

Nec dici posse puto, eos, qui Pontificum, Imperatorumque Romanorum fuerunt a secretis, vel barbaros, vel Latinæ linguæ fuisse imperitos. Nam Joannes Carondellus, ut cæteros silentio involvam, qui Maximiano Imperatori designato, ac Federico Patri Augusto erat a secretis, eruditissimus fuit, Hermolao Barbaro id attestante.

Si mihi pergis cum tuis istis a secretis Pontificum, atque Imperatorum stomachum movere, tantum in te virus ab istis evomam, ut te facile totum obruam; tametsi tamen id esset fæcem fæci addere: quasi mihi, aut Pontificum, aut Cæsarum a secretis, aut etiam [si Diis placet) a tuis Justinianis Latina probanda sit oratio, quasi cum Calepino in eam conjuraris, qui & Hieronymo, Thoma, atque Augustino, ut Apulejum omittam, eam

com-

comprobare suo illo tanto volumine conatus est. *Involvere* vero *aliquid silentio* impolitorum est. Cicero dixit, *præterire*, *transireque*.

Nec aliquem sani capitis esse arbitror, qui inficietur, Petrum Bembum, Jacobumque Sadoletum Cardinales, qui fuerunt a secretis Leoni decimo Pont. Max. non fuisse in politioribus, humanioribusque disciplinis perillustres, qui dum Estenses commemorarunt, Latine scripserint, necne, judicabunt, qui optimam bonis literis operam navarunt.

Scilicet ego omnium insanissimus, tu contra prudentissimus, quin immo quantus quantus es, totus es sapientia, ut in hac quoque accusatione facile declaras, quæ tota primum prudentissime suscepta est, non, quoniam a me dissentire quemquam videres, cui tu subscriberes, sed quoniam, quæ tua summa est ambitio, nostræ invidisti Epistolæ, in istam tuam dementiam te te effudisti: deinde ita eam apposite, ac prudenter pertractasti, ut nihil magis apposite, nihil prudentius tractari posset. Primum enim cui eam inscriberes, si per Gypsium tibi licuisset, ipse optime scis, quamque id prudenter tecum statuisses, tuæ conscientiæ remitto, quando istud tuum consilium tam impudens fuit, ut ne mihi quidem palam proferri liceat; ut si alias interdum minime videris, quod semper facis, in hoc saltem rectissime constitueris. At quæ [Dii boni!] ejus sententiæ? qui ordo? quæ dictio? illæ quidem omnes ex medio sapientiæ pectore depromptæ sunt, scilicet, quæ tecum magis, quam mecum, pugnent; ordo nullus, implicatior labyrinthus se magis, quam tua oratio, sequiturque fugitque; dictio vero ea est, quæ cæterarum rerum imprudentiam facile compensare videtur. Quæ enim coinquinatior? quæ magis barbara? quæque infantior legi potest? ut etiam in Grammaticis sæpius a me sis correctus. Sed quid correctus? Erravi. Commonitus volui dicere. Possunt enim te omnes admonere, corrigere certe non possunt. At in vita, atque extra caussam hanc, nulla tua est insolentia, arrogantia nulla; tua, inquam, tota est modestia, ut propterea illa cæteri omnes plurimum indigeant. Non te omnes jampridem sciunt insolentissimum esse? ac quo homines magis rebus suis distinentur, tanto te eos tuis ine-

ineptiis urgere magis ? Hunc medio in foro aggrederis ; illum domum usque adis , aut cum diluculo , aut sub prandium: alium alio in loco offendis: quos omnes tuorum scriptorum , hoc est , tuarum ineptiarum voluminibus jugulas . Non possum hoc loco nominatim non proferre, quo cætera tua magis credantur, unum horum simile . Faletus , homo Præfecti Viri , cum doctissimus , tum etiam Vir elegantissimus ad foruli scalas cum quibusdam aliis nobilissimis Viris Bivilaquium suum expectabat, apud quem pransurus erat : is vero cum Feranto Troctio loquebatur. Hunc iste ut longe speculatus est, ad eum accurrit : retro lacinia apprehendit ; ab aliis seducit . Habeo , inquit , Amatildæ Reginæ particulam , rem miram , quam tibi legam : quam interea explicat . Ille vero; hui, in foro hæc? Nihil, inquit, refert. Mihi, subdit ille, negotium est cum illis Viris hodie. Cras, alias, operam tibi dabo vel longissimam. Alias aliud, inquit iste, hoc nunc audi. Incipit; audit ille miser : crebro hiat: crebrius etiam despuit: torquetur acriter . Vix finem facit dicendi. Laudat Faletus rem, properans abire . Hoc etiam reliquum est , addit . Epistolium est ad Feretum , Episcopum Reverendissimum . Tum Faletus , mediusfidius mihi res magna est cum Bivilaquio : me , vide, illic ille expectat . Mox abibis . Dii me servent , inquit, nunc. Pergit, vixque absolvit. Vale, inquit, ille. Elegantem quidem Epistolam . At hoc multo plenius laudabis. Neque enim Bivilaquius te etiam vocat . Immo jam sæpius innuit , dum tu legis . Innuat , nutet , vocet, ut velit, audiendum hoc quoque tibi est reliquum. Tum Faletus ira excandescens , quæras jam , qui te audiat, insolentia. Atque ita istum deserit. Utrum hoc sanæ, ac prudentis sit mentis, non autem , ut tu ais , capitis, alii judicabunt; prope etiam ausus sum dicere [tametsi totus es insania] ipse judicabis.

Et cum Historici munere fungar , cæteris hujus Epistolæ partibus respondere nec vacat , nec lubet . Quæ autem scripsi, omnium eruditorum judicio submittenda duxi ; cum putarim, me amicissimo Viro beneficium fecisse , si se ipsum sibimet ipsi tamquam in speculo ostenderim , non contradicendi , sed indagandæ veritatis studio , ejus opinione rejecta , quæ sugillat omnes ætatis nostræ , veteresque Auctores eru-

di-

ditissimos, quos supra communem hominum aleam fuisse, sæculorum consensus approbavit.

Recte tu quidem agis, etiam ratione. Tuum enim initium cum fine; utrumque autem cum medio optime consentit: omnia vero ambitioni referuntur. Quoties enim jam Historiæ tuæ fecisti mentionem? quæ omnino nulla est. Nam neque Princeps hoc tibi munus demandavit. Jacta quantum vis in omnibus tabernis, tuique cum similibus, mentieris semper; certe vel nummum ob eam scriptionem tibi constitutum esse, numquam vere jactabis. Quod vero non lubeat cæteris Epistolæ meæ partibus respondere, tuæ totum est insolentiæ, an potius ignorantiæ? qui cum non habeas vel quod verbum facias, hoc modo ineptissime responsionem fingis. Sed re opus est, non minis ineptissimis. Quod dicis, te amicissimo Viro beneficium fecisse; credo, te jampridem sensisse, qui Vir ille sit. Quod ad datum beneficium, fatetur, te majus sibi dare nequivisse, quam ut te hoc quoque modo ineptissimum esse declarares. Nullum enim cuiquam aut majus, aut certius testimonium adhiberi potest, quam quod ipse de se ore suo testatur, ac scriptis etiam publice confirmat. Postremo vero, Studiosi Viri, quid agitis? quid dormitis? quin arripitis dicendi figuram usitatissimam atque elegantissimam? *Ego ostendi se ipsum sibi in speculo*; item illud, *supra communem aleam*. O Ciceronem infantissimum, qui numquam ita locutus es: qui tuo modo semper scribis: ut tuo etiam merito fiat, si Scriptores te non imitentur; Apulejum magis sequantur; posthac vero Sardum. Hic, hic est, Præfecti Viri, ad cujus imaginem scribendum est; quem patrem eloquentiæ; Ciceronem infantiæ recte appellemus. Euge, Sarde Cicero, scribe; perge; perde infinitas chartas; comple Orbem tuis sordidissimis voluminibus. Gothos, Gallos, Germanos, cæterosque barbaros audio, Præfecti Viri, Latinæ linguæ maximas calamitates sæpius attulisse, cum in ea suam orationem desseminarunt. Sardos ego, & Sardorum similes multo majorem illi perniciem attulisse, atque adeo quotidie magis afferre, quo vultis pignore, contendere possum. Quare uobis nunc providendum est, cum a veteribus barbaris paulum convaluisse videtur, ne recentioribus Sardis in morbum iterum incidat.

cidat. Id autem erit, si publico edicto prohibebitis, ne posthac, qui non plane Latine, atque eleganter scribant, aut Historiam clarissimorum Principum contaminare, aut vitam alicujus Pr ncipis Viri secundo, ac perpetuo suo stylo deperdere, multo vero minus elegantioribus Viris oblatrare possint; quod vero scripserint, ne aut prælis, aut etiam sua manu edere audeant, imperabitis. Si vero secus fecerint, pœna esto, ut istorum chartæ garo, larido, cæterisque salsamentis circumvolvendis attribuantur. Sed hoc, Sardi, [tecum e im quasi perorare volo] hoc, inquam, Sardi, ad Latinum hominem spect t; quod dicam, ad Christianum pertinet Virum. Nolo enim nostra scripta gravius animos nostros offendant, quam si ea sanctissima essent. Nam si quid in tua ipse accusatione minus Christiane in me confinxisti, animoque magis invido, quam vero, de me eodem detraxisti, aut si id studuisti, ut aliquid esse videreris, si mecum ausus esses contendere, aut etiam, ut isti tuo inanissimo animo morem gereres, aut magis [ut multa facis] nullo consilio, nulla ratione præceps in istam accusationem delatus es, omnia ego ita tibi condono, ut Chrift. Opt. Max. suos omnes cruciatus Judæis condonavit, pro quibus etiam parentem suum exoravit, ut eis ignosceret. Quare ego quoque ad ejus imitationem eum rogo, ut tibi meliorem, ac saniorem mentem det, istasque ignorantiæ tenebras ab animo tuo auferat, ac faciat aliquando, ut tu iis magis credas, qui vere amice tecum agunt, quam qui adulatorie, ut ista tua inani ambitione, lingua non satis bona, insolentia intolerabili, immodestia singulari, urbanitate scurrili, moribus odiosis, ineptiisque omnibus liberet, a' solvat, purget. Tu vero contra, si a me omnia verissime audisti, quæ scio multo gravius animos lædere solere, quam ficta, quam commentitia, quam falsa, quæ scilicet [nam quæ multa a me in hac responsione mea didicisti, nihil ea ratione a te reposco; dono do, ac mitto] pectus tuum altius persoderunt, pari ratione mihi ignoscere debebis, atque eo magis, quia tu me ad hanc inimicitiam provocasti, atque eo etiam tempore provocasti, quo te amicissime utebar. Quod factum ut rectius consideres, rationem omnem in consilium adhibebis: amicorum autem & fidelissimorum, & prudentissimorum cohortationes omnes in memoriam revocabis. Cum enim

tuam

tuam insolentiam, tuam petulantiam in foro, in Templis, ad scalas, in quæstorio, cum semidoctis, cum ignaris, mane, meridie, vesperi cum mea modestia, cum mea patientia, qui isthæc omnia sciens, quoties mihi tamen obvius factus es, amicissime [ut plane scis] & salutavi, & accepi, conferes; facile fiet, spero, ut ad me accurras, atque arctissime inter nos complexi, in veterem concordiam, ac amicitiam integerrimam reconciliemur. Quod factum tuum, certo scio, filium tuum, prudentissimum adolescentem, multo magis comprobaturum, quam etiam prius consilium tuum [ut pium filium decuit] maxime improbavit. Dixi.

O 2 IN-

INDEX RERUM.

A

Bel-

Ber-

C

De-

E

Epi-

F

Fer-

G

Glo-

Ho-

Ho-

Ju-

L

Le-

 cio,

M

A ma-

N

O

P

Q

R

S

Se-

V

Ver-

loca.

FINIS.

